Biblioteca dell'Istituto Botanico
dell'Università - Bari
Serie V-B N. 322
Scaffale 8
Piano E
N. 5

ICONES ET DESCRIPTIONES

rariorum plantarum

Siciliae, Melitae, Galliae et Italiae

auctore

PAULO BOCCONE;

N. d'Inv. 1411

ISTITUTO DI BOTANICA
BARI
UNIVERSITÀ

ICONES & DESCRIPTIONES

Sez. V B - n. 322

RARIORUM PLANTARUM

Siciliæ, Melitæ, Galliæ, & Italiæ.

Quarum unaquæque proprio charactere signata, ab aliis ejusdem classis facile distinguitur.

Auctore PAULO BOCCONE


PANORMITANO SICULO,

SERENISSIMI MAGNI HETRURIÆ

DUCIS OLIM BOTANICO.

N. d' inv. 1411

ISTITUTO DI BOTANICA
BARI
UNIVERSITÀ



E THEATRO SHELDONIANO. M. DC. LXXIV.

Prostant apud *Robertum Scott* Bibliopolam LONDINENSEM.

PLANTARUM
STUDIOSO.

DONO tibi curarum partem, *Erudite Botanophile*; *Icones* scilicet *Plantarum*, quas (per *Siciliam*, *Italiam*, aliasque provincias) Rariores inveni. Earum quandoque plures, compendii gratia, in unam tabellam conjeci. Interdum etiam ramos quarundam ab amicis datos, ceteris inserui; & hæc aliquanto certe cum detrimento integritatis totius Plantæ, nullo vero dispendio genuinæ effigiei, quæ satis patet, maxime advocata in auxilium illa, quam adhibui descriptione, in qua notas omnes, quæ ad pleniorem ejus intelligentiam faciunt, breviter, & accurate, quantum in me fuit, complexus sum: non enim particulas omnes illarum singulatim & scrupulose, inutili prorsus diligentiæ redundantia (quod nonnullis placet) prosequi libuit. Nomenclaturas indidi pro ea quam præ se ferebant cum notioribus similitudine. Omnes autem hæ Classicis Auctoribus indictæ sunt, si paucas excipias, quarum *Icones*, ab illis non expressas, exhibeo. Ceteræ novitate sua commendabiles, quædam vero ante alias, si quid in Botanicis video, ad invidiam pulcræ; quod vel iniquus hujus opellæ meæ æstimator tacita conscientia judicabit. Neque enim leve munus hoc existimes velim, cum propter dignitatem plantarum, & numerum, qui ultra centum extenditur, tum etiam quia plurium annorum, & multi laboris opus est; nisi facile putes per confragosa loca, & obsitos virgultis montes repere, silvarum recessus omnes scrutari, & sæpe eadem die frigoris & caloris exuperantias fer-

re. Quam tamen viam eo libentius ingressus sum, quo spontaneas, & nativa pulchritudine florentes investigare præstabilius semper duxi, quam cultura & mangonio adulteratas spectare, quod fieri plerumque nequit sine fraude, & cruce discentis. Attamen quicquid id est, si expectationi tuæ non respondeat, scias etiam idem votis meis non omnino satisfacere, quia accuratiores, & elegantiores figuras expetivissem; sed quid expectes amplius à privato viro, & cui ex siccis plantis eas delineare necesse fuit? Quare habebis gratias, si voles, certe debebis: donec meliora, majoraque enascantur, peto ut vel ob communionem studiorum nostrorum, hæc mea

Parvula ne temnas, parvis quoque gratia multa est,
Parvulus est Paphiæ filius ales amor.

INDEX

INDEX

ONOMASTICUS PLANTARUM

IN HOC OPERE CONTENTARUM,

CUM TABULARUM INDIGITATIONE.

Alga spiralis. Tab. 38
Alsine paluſtris Serpilli folio, Tab. 25
Alsine Lotoides. Tab. 11
Alsine Bononiensis non aculeata. Tab. 12
Alsine Paronychiæ facie. Tab. 38
Alsine maritima altera anguſtis foliis. Tab. 10
Alsine maritima longius radicata, Herniariæ foliis. Tab. 10
Althæa Carpini foliis, fl. luteis. Tab. 6
Amaranthus spicatus perennis. Tab. 9
Anonis folio lucido serrato. Tab. 38
Apocynum Canadense Androsæmi majoris foliis. Tab. 16
Ariſtolochia rotunda altera. Tab. 3
Ariſarum anguſtifolium minimum. Tab. 42
Ariſarum ſive Dracunculus Potamogeti folio. Tab. 26
Aſter Canadensis, vide Conyza. Tab. 46
Aſter tomentoſus luteus Verbaſci folio. Tab. 31
Atriplex maritima, minima, anguſtifolia. Tab. 15
Aſtragalus Bæticus, vide Securidaca ſiliquis foliaceis. Tab. 4

Baticulæ alterum genus ex Sicilia Cæſalpini. Tab. 27
Blattaria incana multifida. Tab. 31
Braſſica ſilveſtris Fabariæ foliis. Tab. 25

Campanula hirſuta Ocimi folio caulem ambiente fl. pendulo. Tab. 45
Campanula Caetana rotundifolia longius radicata. Tab. 27
Capparis duplicata ſpina, folio acuto. Tab. 42
Chamærubus an Chamæmorus Norvegica Cluſ. Tab. 39
Chryſanthemum canadense latifolium humilius. Tab. 27
Chondrilla Tragopogonoides. Tab. 7
Clematis tetraphylla Americana. Tab. 15
Conyza capitata, ſeu globoſa. Tab. 7

Reseda Gallica crispa. Tab. 41
Rubia villosa semine duplici, hirsuta. Tab. 6

Saponaria acutis foliis ex Sicilia. Tab. 30
Scabiosa maritima Rutæ caninæ foliis. Tab. 40
Scabiosa marina Rutæ marinæ folio. Tab. 52
Securidaca siliquis foliaceis. Tab. 4
Sedum maritimum villoso semine. Tab. 4
Sium seu sio affinis siliquis latis. Tab. 44
Spongia canalata seu piniformis. Tab. 40
Spongiæ ramosæ varietas. Tab. 50
Solanum spinosum maxime tomentosum. Tab. 5
Stramonium ferox. Tab. 26

Thlaspi biscutatum Raphani aut Irionis folio. Tab. 23
Thlaspi Latifolium platycarpon Leucoii folio. Tab. 29
Tithymalus maritimus Juniperi folio. Tab. 5
Tithymalus polycoccos Portulacæ folio. Tab. 19
Trachelium capitatum hirsutum foliis gramineis. Tab. 42

VIRO GENEROSO,

AC BOTANICORUM STUDIORUM AMANTISSIMO

Dno CAROLO HATTON,

CHRISTOPHORI HATTON BARONIS LIBERI ANGLIÆ

Filio natu Secundo

S. P. D.

ADMIRABILIS (vir Generose) sapientia divina, qua natura ipsa omnia in mundani hujus systematis superficie vegetantia regit, ac gubernat, incredibili vegetabilium plantarum numero ac pulchritudine ludit per totum terrarum orbem. Si genera, formas, ac earum vires, seu virtutes intueamur, in omnibus hisce inexhaustam sapientiæ profunditatem in ipsis condendis comperiemus: hoc enim in prosequendo historiam nostram novam, methodo synthetica dispositam, nobis sæpe sæpius animadversum, cum in campis, tum in hortis ad publicam utilitatem constructis, simul & consitis. Præter omnes tam ab Authoribus descriptas, quàm à nobis per aliquot annos observatas, videmus Siciliam, Melitam, Cretam insulas, aliosque Europæ locos, nondum rite examinatos, novas formas, novasque species indies nobis suppeditare. Quid novas dico? Noviter detectas intelligo; Sic plantarum hic numerus in hoc opusculo à

Dom.

Dom. Paulo Baccone *exhibito contentus, novus dici meretur, quia ab ipso primùm repertæ, seu detectæ fuere; tertio tamen creationis die (mea opinione) extitere, cum aliis plurimis, multis retro seculis detectis. Memini me sedecim abhinc annis, cum Blæsis Celsitudini suæ Aurelianensium Duci Gastoni Galliarum Regis Maximi, & Potentissimi Patruo Sereniſſimo, in Botanicis operam darem, eodemque tempore, privatorum meorum quorundam negotiorum gratiâ Parisiis degerem, tunc temporis, sæpissime ædes nobilissimi patris tui in suburbiis Divi Germani sitas subiisse. Eo aliquoties vocatus, te Discipulum in Botanicis instruendum suscepi, atque in hunc finem hortum Botanicum, à Gallis ipsis satis frequentatum, quippe satis luculentum, atque plantis rarioribus instructum, imo satis magnifice cultum, ac digestum in votis habuit nobilissimus tuus parens, (quod à nobis præstitum) cui defuncto etiamnum debitam voveo memoriam. Ibidem plurimas vidisti plantas, imo rariores, easque observatu dignas retinuisti, atque authores selectissimos perlustrasti; quin & quæstiones plurimas scitu perdignas proposuisti, ut an effatum illud Dioscoridis esset verum, toties ab omnibus neotericis confirmatum, & celebratum, Videlicet*, Filici sunt folia sine caule, sine flore, sine fructu. *Item Cæsalpinus Doctissimus & emunctæ naris Philosophus, ac insuper Botanicus optimus, sequendo ductum Dioscoridis, aliorumque neotericorum* cap. 7. lib. 16. *asserit Linguam cervinam, neque caulem, neque florem, neque fructum ferre. Polypodium florem & semen non fert teste eodem*, cap. 6. *ejusdem libri. Item* cap. 12. *ejusdem libri, Capillus veneris provenit sine caule, sine flore, sine semine. Hujus erroris insimulavimus tunc temporis Dioscoridem primo, atque omnes ejus sequaces neotericos; cum clare constet capillares*

pillares omnes, id est filices, polypodium, capillum veneris verum, adianthum, ceterach, polytrichum, rutam murariam, scolopendrium, seu linguam cervinam, imo & lunariam, ceteraque hujus farinæ omnes, flores, & consequenter semina, pulviſculi instar in dorso pinnarum ferre, atque sibi similes ex semine producere, non obstante decreto veterum & neotericorum Botanicorum ipsi mordicus sine ratione, sine experientia adhærentium. Juncos itidem omnes, flores & semina perfecta diversiformia talia, qualia in promptuario nostro seminario impræsentiarum conspicere licet, producere audacter asserimus. Cassutha sive cuscuta non in terra (inquit Doctissimus Fuchsius) sed in herbis fruticibusque nascitur, quos tam spisso sæpius irretit contextu, ut tentorii modo, herbosum cespitem à sole vindicet; cacuminibus stirpium impendens, ipsas humi deturbat, propriamque parentem suis laqueis strangulat, ipsamque alimenti suctu perducit ad tabem. Hoc sæpius à nobis observatum, cuscutam lino, urticæ, cannabi, thymo, serpillo, genistæ, frumento innasci, quodque non mirandum pratorum gramina, imo ad plurima jugera prope Blæsas, *inter oppidum, & villam dictam* Chaumont, *cuscuta onerari observavimus. Atque semen perfectum cuscutæ, tam urticæ, ericæ, lino, quam genistæ, graminibusque variarum specierum, etiamque trifoliis innascentis collegimus, eodem modo factum. Ex semine hoc suo proprio perfecto, atque in terram deciduo germinat, atque aliarum plantarum perfectarum more, ex eodem semine sese quotannis renovat, ac paulatim exeunte vere filamentis suis expanditur, vicinasque plantas amplectitur, atque postea fatiscentibus radicibus, sese filamentis per herbas, aut frutices quoscunque diffundit passim, tanquam ingrata hospes cuscuta, atque herbas fruticesque, quos semel arripuit,*

longissimis filamentis, seu claviculis, tam arcto nexu complectitur: ut planta parasitica hæc cuscuta, eorum genium defraudet, subductoque alimento eos penitus enecet aliquando: nullis visibilibus postquam in altum conscendit nixa radicibus, (unde à Gallis vocatur Goute de lin, & augurre de lin, *& ab Anglis, Italis, Polonis, herba inferna, seu viscera diaboli dicitur) quibus tamen è terra primò erumpens haudquaquam destituitur. Flores per capreolorum mæandros nullo ordine sed confuse nascuntur glomerati, quorum singulares flosculi subrubentes, aliquando albicantes, 4 foliolis radiatis constant: fibrillis purpureis medium occupantibus, atque capitulis succedentibus, semina insunt rotunda papaveris magnitudine paria. Nec hoc mirum, cum idem præstat hedera helix, inter lignea materia constantes plantas: dum enim hedera helix, longe lateque per terram sparsa, nunquam fructificat, sed postquam vetustam arborem, aut antiquum murum conscenderit, abscissa imâ radice è terra primulum orta, corymbos* Baccarum nigrarum *provectior copiose gerit, faciemque mutat, folia tunc sunt rotunda, paululum tamen mucronata; ast adhuc dum per terram repit, angulosa eadem fert. Est tamen hæc, hederæ una & eadem species pro loco, & ætate varians. Tibi igitur (vir Generosissime) dijudicandum relinquo, quam inepte authores ante Bauhinum scribentes, atque ipse Casp. Bauhinus eosdem sequutus, aliique eorum vestigiis hucusque insequentes, duas distinctas unius & ejusdem hederæ species constituerint. Est enim provectior hedera frutex parasiticus, vivens sine radice in terra, ast cirrhis fibrillisve in corticem arboris, aut rimas murorum adactis vivit: sicut etiam & cuscuta filamentis arcte amplectentibus vicinas quasque plantas est herba parasitica, sese itidem (provectior) sine radice nutriens. Insuper pro variis herbis ac frutici-*

fruticibus, quibus innascitur, varie potest cuscuta denominari, variisque etiam virtutibus gaudere. Unde dicitur epithymum, epiurtica, seu potius Παραλίφη, *epierica, epioriganum, epilinum, epigenista, episerpillum, epigrostis, epitriphyllon, &c. Dodonæus asserit Cassutham flores edere parvos, cirrhos ipsos quibusdam locis ambientes, à quibus semina quædam exigua, sed inutilia prodeunt: folia habet nulla, radicibus nititur nullis, in terra enim non gignitur, sed fruticibus herbisque innascitur. Nec possum ego satis admirari Dodonæum, aliosque ipsum sequentes. Nec lubenter possum præterire Ruellium, qui citat Draconem hortensem, seu Ptarmicam hortensem mirabili modo nasci, scilicet ex semine lini Raphanis, aut scillæ bulbo incluso, & terra obruto. Quam ridiculum, & absurdum sit hoc, inter cetera ab authoribus neotericis recepta, quivis sanæ mentis Botanicus nobiscum (vir Generosissime) judicare poterit. Semen difficulter ferre Dracunculum hortensem fateor, quia tanta facultate rependi radicibus prædita est hæc herba, ut raro semina ad perfectionem perducat (quamvis etiam nonnunquam) ut ceteræ omnes nimia rependi facultate donatæ plantæ, ut Raphanus rusticanus, Ceanothos Theophrasti Colum. seu carduus vulgatissimus viarum Ger. nasturtium Babylonicum, Lob. aliæque plurimæ, penes experientes, & semina colligentes esto fides. Amant suos locos, seu natales capillares, cuscuta, hedera, Junci diversi, ut ceteræ plantæ perfectæ, flores, & semina sua producentes, atque ex iisdem sese propagantes. Hoc publice profari volui, quod privatim tibi inculcaveram: sed nunc revertamur ad rariores hasce plantas Siculas & Melitenses* Domini Pauli Boccone *Panormitani, viri certe laude digni. Plantas novas fere omnes (perpaucis exceptis) à nemine quod sciam descriptas, ab ipso*

Authore

Authore tibi commissas, cum iconibus æri insculptis, Authoris rogatu, mihi perlustrandas commisisti; hasce rariores (cum ut notiores omnibus Botanicis redderentur, tum ut Authorem pariter illustriorem redderent) typis Oxonienſibus committendas curavi, ne diutius in tenebris laterent, blattisve aut tineis exponerentur, sed ut passim inter Botanicos Europeos fulgeant, eoque solo fine, ut interdicantur derisores & momi ne noceant nostro authori, qui pauculas has rarissimas stirpes novas, non minimo studio, & labore detectas publico exhiberi hic voluit, imo efflagitavit. Author noster per multos annos algoris, caloris, & indefessi laboris patiens, ejus est candoris, atque indolis bonæ, ut errorem (si quando occurrit) libentissime fateatur, atque seipsum corrigat, & ab aliis emendari, muneris non exigui loco sit habiturus. Concludimus ipsum Botanici fidi, ingenui, ac industrii partes egisse, atque insuper laboribus hisce suis exantlatis, plantarum novarum indagatoribus, earumque avidis cultoribus profuturum. Apud me vicit veritas, atque opusculum dignum, quod lucem meretur; pervicit persuasio tua ut hic imprimeretur & authori, & mihi. Quare cum tantum tibi debeam (vir Generosissime, qui meos aliquid putes esse labores) in hoc sicut in aliis tibi morem gerens, id effectum dedi: ductus partim exhortatione tua, partim benevolentia & humanitate qua botanicos studiosos omnes prosequeris, & inter ceteros Authorem nostrum. Tabulas 45 apud exteros vitiose satis sculptas, & plantarum ibidem contentarum nomina perperam adaptata refici, quin & insuper septem postremas Tabulas de novo ex plantis siccis hic delineari, ac sculpi tuis sumptibus (ut votis tuis satisfieret) curavimus. Macte virtute, prodeant atque publici juris fiant hæ rariores Siculæ, atque Melitenses, &c. nondum exhibitæ

bitæ in φιλοβοτανῶν *usum, sine cunctatione. Unde enim majus animorum vinculum, quam ex similibus studiis, & exercitiis præsertim liberalibus? Quare scientia multifaria, ac virtutes tuæ Heroicæ, quin & studium Commune naturalium rerum cognitioni impensum, faciet ut præter observantiam & cultum, nunc etiam amorem tibi publice debere sincere profiteatur Author noster, atque etiam*

Oxonii
Datum ex musæo nostro
in Collegio Dicto Uni-
versitatis Octobris 4.
1673.

Tuus Devinctissimus &
Humillimus Servus

ROBERTUS MORISON.

Medicus Botan. Professor Regius, nec non Universitat.
OXON.

ERRATA.

Pag. 36. l. ult. leg. *son Hippomarathrum.* p. 42. l. 18. post *minimum* interseratur ultima clausula, *ubi vitiose exhibentur*, &c. p. 71. l. 12. leg. *civitatis.* p. 75. l. 9. leg. *tenuifoliarum.* p. 85. l. 20. l. XLIV.

FINIS.

Icones, & Descriptiones
RARIORUM quarundam *PLANTARUM*
Provenientium in
Sicilia, Melita, Gallia, & Italia.

Panax Siculum, semine hirsuto, foliis Pastinacæ latifoliæ, sativæ.

RADIX pro plantæ ratione parva: maximus *Caulis*, humanam altitudinem seu proceritatem non raro superans, uncialis crassitiei, in plures ramos distributus, ruber, lævis, rectus, intus fungosus: *Folia* quam Pastinacæ sativæ latifoliæ ampliora, tenuibus nervis obsessa, lobis quasi rotundis, figura penè cruciformi, latè expansa, atque lucida: *Umbellæ* amplæ: *Flos* albus: *Semen* longum, crassiusculum, striatum seu sulcatum, exterius candidâ lanugine hirsutum; quâ exutâ, Semen grano Secalis aut Tritici figurâ & colore par est. Caule vulnerato interdum sponte lacryma exit, concrescitque colore flavescente. Hujus meminit *Cæsalpinus*, aliique sine Icone, quam studiosorum Botanicorum oculis subjicere voluimus. Non solum *Panormi*, ubi pro *Da-*

biſo notum, ſed & in tota *Mararæ* valle, locis incultis & aſpe-



ris copioſe naſcitur, & appellatur ibidem à colonis *Ferla*, ſeu *Ferra Saraciniſca*. Variat foliis quandoque glabris, quandoque hirſutis.


Explicatio I. Tabulæ.

In Tabulâ I. A. *radicem & folia ſub exortum ex eadem radice indicat.* B. *Petalum integrum, cum lobis ſubrotundis nervo medio ſeu petiolo adhærentibus.* C. *Caulem craſſum in ramos diſtributum, & floribus oneratum.* a. a. a. *Pericarpium craſſum, ſtriatum, lanuginoſum, bina ſemina intus latentia continens.* b. *ſeminis inde exemti partem convexam, ſulcis ſeu ſtriis præditam.* c. *partem ejus concavam.* D & E *foliola tenella ex radiculis teneris ſub exortum è terra.*

Malum

Malum Aurantium Lauri angustis foliis.

MAlus hæc Aurantia solâ varietate *Foliorum* à cæteris suæ classis distinguitur ; eaque quandoque unciam lata sunt, quatuor longa, acuminata, circum ramos dense congesta, Lauri



angustifoliæ, vel Rhododendri æmula. *Fructum* cæteraque partes cum reliquis communes habet. Prope *Pisas* in horto *Franciſci* colitur.

Malum Aurantium malo Citrio prægnans.

COrtex hujus mali aspectu, odore, & sapore, malum Aurantium repræsentat : hoc avulso, qui vulgaris est crassitiei,

visitur tenuis *Cuticula*, quæ medullam albam, mali Citrii substantiâ pulposâ refertam complectitur; mirâ graviditate latente sub Aurantii cortice, quæ malo alteri dissimilis ratione saporis & odoris. Sub nomine *Aurantio cedro* studiosè colitur in hortis *Messanæ & Rhegii.*

Explicatio Tab. II.

In Tabulâ II. A. *&* A. *ramum mali Aurantii Lauri angustis foliis indicat.* B. *Malum Aurantium malo Citrio prægnans.* C. C. C. C. *corticem exteriorem hujus Aurantii Cedri.* D. D. D. D. *involucrum secundum mollius multo Cortice, & Pulpa interiore durius.* E. E. E. E. *Pulpam humore seu liquore Acri-acido prægnantem.* F. *Meditullium (ejusdem consistentiæ cum involucro secundo) cui Vesiculæ coriaceæ annectuntur.*


Heliochrysum Abrotani feminæ foliis.

TEnues sunt huic *Virgulæ*, fragiles, pedales: *Foliis* circundatæ oblongis, angustis: *Denticulis*, quam Abrotani feminæ longioribus, nonnihil candicantibus: *Flores* in fastigio cauliculorum umbellati, luteo auri colore fulgentes, Heliochrysi aut Stæchadis citrinæ floribus, colore & odore persimiles. *Semen* à *Perside Florentiam* allatum à *Reverendo P. Tani*, Ordinis *Prædicatorum*, tempore *Serenissimi Cardinalis Johannis Caroli Medices*, plantam hanc in hortis Florentinis *Celsissimi Magni Hetruriæ Ducis* produxit.

Na-

Nasturtium montanum Asari foliis.

NAsturtium hoc *Foliis* est rotundis Asaro similibus, amplitu nonnihil sinuatis: *Flos* albus: *Siliquæ* longæ, innumeræ, quæ maturæ ad leviſſimum contactum diſſiliunt: *Radix*



ſubeſt craſſa, cava, nodoſa, ſerpens aut repens, tenuibus fibris ſubinde ad nodos enatis, terræ ſe affigens. Perpetuum eſt, & *Cochlearia Italica* quibuſdam dici meruit. Circa fontes & rivulorum margines montis *Bargæ* in *Hetruria* crebro naſcitur.

Ariſtolochia

Aristolochia rotunda altera.

ARistolochia hæc altera rotunda, *Cauliculis* est crassis, ad cubitalem longitudinem humi projectis: *Foliis* formâ & colore, rotundæ vulgaris multo majoribus, longioreque *Pediculo* nitentibus, cæterisque partibus etiam proportione respondentibus. Eam accurate descripsit *Clusius*, quem consulat Lector. Indigitata mihi fuit in silvula ad radicem Montis *Madoniæ*, à Doctore *Johanne Rustici* Medico erudito.

Explicatio Tabulæ III.

In Tabula III. A. *Heliochrysum floribus onustum indicat.* B. *Idem sine floribus.* C. *Nasturtii ramum foliis & floribus onustum.* D. *ejusdem radicem.* E. *Ramusculos superiores Siliquis refertos.* F. *Aristolochiæ Ramum foliis & floribus ornatum.* G. *Ejusdem radicem rotundam cum Fibris infra positis.*

Sedum Siculum, maritimum, vermiculatum, flore Saxifragiæ albæ, semine villoso.

HÆc *Plantula* Sedi aut Kali speciebus annumeranda venit, *Caulibus, Foliis* acutis, & vermiculatis, illis omnino persimilis. *Flores* promit Saxifragiæ albæ bulbiferæ: *Semen* villosum utriculo involutum, non absimile Semini pentagono, quod in Gelsemino Peruviano conspicitur. Fructescit ut plurimum Thymi capitati modo in maritimis ad *Granarium Agrigentinum.*

Secu-

Securidaca Sicula siliquis foliaceis.

PRomit hæc *Cauliculos* palmares, rotundos, in plures ramos divisos, interdum erectos, *Siliquarum* pondere subinde versus terram reclinatos: *Folia* Securidacæ per extremum cordata: *Flores* in longis *Pediculis* subalbicantes; sub-



sequentibus *Siliquis* latis, crassis, duplice serie seminum oneratis, Viciæ sesamaciæ Apulæ *Columnæ* formâ (cui omnino conformis) accedentibus, unciam longis, in aduncum mucronem abeuntibus: *Semina* autem fert ad Astragali formam accedentia.

Passim

Paſſim inter ſegetes circa conventum *Sancti Viti*, & alibi, viget æſtate.

Pſyllium laciniatis foliis.

HOC *Capitulis*, *Flore*, & *Semine* à cæteris ſuæ ſortis nihil differt; *Foliis* ſolum laciniatis, vel potius ut in Coronopo, additis quibuſdam appendicibus veluti ramoſis, ab iis diſtinguitur. *Calceolarius* in enumeratione plantarum provenientium in *Monte Baldo* hujus meminit ſub nomine Pſyllii foliis Coronopi. *Caſparus Bauhinus* ejuſdem mentionem facit in Prodromo: an ſit idem cum noſtro divinare non audeo. Annuum eſt. Prope *Melillim* & *Saccam* reperitur.

Explicatio Tabulæ IV.

In Tab. IV. A. *Radicem & folia Pſyllii per terram ſtrata indicat.* B. *Ejuſdem Caulem capitulis & foliis onuſtum.* C. *Sedi maritimi ramuſculos.* d. *ejuſdem ſemen.* e. *florem.* f. *pappum.* G. *ejuſdem plantæ Caulem unicum, longiorem.* H. *Securidacam in plures ramos diviſam.* i. *Siliquam ejus aduncam.* k. k. *Semina inde exemta.*

Solanum ſpinoſum maxime tomentoſum.

RADIX hujus Solani longe lateque eſt repens: *Cauliculos* promit pedales, ſubinde ſeſquipedales, *Aculeis* mordacibus ſeu pungentibus frequenter armatos: *Folia* per nervorum longitudinem, inferne, & ſuperne paribus ſpinis infeſta, in margine leviter ſinuata, utrâque parte pingui tomento

mento obsessa: *Flores* Borraginis facie: *Capsulæ* seminis (ut Florentiæ vidimus) atque *Fructus* Capparis formâ. Cum nullus Author Classicus (quod sciam) ejus meminerit, rarissimæ Plantæ hujus Iconem pauculis meis addidi.

Tithymalus maritimus, Juniperi folio.

HIc, Tithymali arboreſcentis facie fruticat: pedali, & altiore quandoque est *Caule*, supernè variis ac multipli-



cibus ramis distincto, valde comoso; tenuibus *Foliis*, copiosissimis, longissimis, Juniperi formâ, sed mollioribus &

minoribus circumvestito, ad Tithymali leptophylli figuram accedentibus. *Flores* & *Capsulas* seminales aliorum Tithymlaorum more (id est, fructum tricoccum) profert. Perpetuus est. *Massiliæ* in maritimis oritur.

Helleborus minimus Alpinus, Astrantiæ flore.

IPsissimus est hic, qui à *Casparo Bauhino* bellè describitur in Prodromo, nisi quod folia nostri etiam in exortu in quinque partes divisa sint, quarum singulæ longiores sunt, & angustiores quam Hellebori *Bauhini*, qui folia suo unguem pollicis lata, in septem lacinias breves & angustas dissecta attribuit; quod forte ab ingenio soli oritur. *Radices* subsunt nigræ, & tenues. Gignitur in vertice *Paniæ* montis, in *Hetruriâ*.

Explicatio Tabulæ V.

In V. Tab. A. I. *Solani tomentosi caulem foliis & spinis armatum indicant.* B. *Folium ejus inferius & majus.* c. *Floris partem anteriorem.* e. *Ejusdem partem posteriorem.* d. d. *Semina.* E. II. *Tithymalum maritimum Juniperi foliis ramificantem.* F. III. *Helleborum minimum Alpinum, foliis, caule, & floribus foliosis, Asteris ritu cinctis, prægnantem.* G. *Radicem ejus fibrosam & folia per terram strata.* H. *Cauliculum & Florem apertum.*

Rubia semine duplici, hispido, latis & hirsutis foliis.

QUadratis *Caulibus* erigitur, cubito altioribus, *Foliis* circum genicula quaternis, decussatis, magnitudine, forma,

formâ, atque hirsutie, Cruciatæ *Dodonæi* similimis. Fastigia cauliculorum, in ramulos tenues divisa, decussatis



etiam *Floribus*, Geminum *Semen*, & illud hirsutum, sustinent. Solâ foliorum hirsutie, & magnitudine à Rubiâ semine duplici, hispido, *Johannis Bauhini* variat. In Ilua silvâ vidimus, eandemque illic legimus.

Althæa Carpini folio, floseulis luteis.

HUjus peregrinæ plantæ *Caulis* est rectus, rotundus, cubitalis, ramosus; *Folia* ad Ulmæ, Carpinive faciem ac-

 cedentia;

cedentia: *Floſculi* lutei, minimi, longis pediculis innixi, ſuccedentibus orbiculatim Malvæ, ſive Althææ modo *Seminibus* aculeatis, ſeu roſtratis, atque pungentibus. Perit ſingulis annis, in *Italia* Melochiæ ſpuriæ nomine nota; ibidem, & in *Gallia* colitur in hortis omnibus Botanicis. Deſcribitur à *D. Moriſono*, Prælud. Botanic. p. 229.

Pſeudodigitalis, Perſicæ foliis.

FRequens eſt in hortis *Piſanis*, & *Florentinis*. A *D. Moriſono* Profeſſore Botanico Regio, & Univerſitatis *Oxon.* ſub Galeata & Verticillata Perſicæ foliis deſcribitur, Prælud. Botan. p. 275. ideoque illius ſolummodo figuram appoſui. Sed cum Digitalis ſpeciebus neque capſulâ ſeminali, neque ſemine conveniat, Pſeudodigitalis nomen cum Pariſienſibus adaptavi, donec melius & aptius ei quadrans inveniatur. *Flore* amplo, violaceo, Digitalis inſtar, Digitalem ſeſe proderet; niſi capſula ſeminalis, & ſemina Verticillatarum more (ut cuilibet proprius intuenti apparet) aliò ipſam reducendam declararent.

Explicatio Tabulæ VI.

In VI. Tab. I. G. I. *Rubiæ ſemine duplici, biſpido, latis & hirſutis foliis, binos caules indicant.* b. II. *Althææ Carpini foliis, floſculis luteis, caulem, foliis & ſeminibus aculeatis in capitulum congeſtis ornatum.* c. II. *Radicem & caulem inferiorem foliis tantum onuſtum.* d. *Semen roſtratum.* e. III. *Caulem Pſeudodigitalis, Perſicæ foliis.* F. III. *Ejuſdem caulis ſummitatem floribus prægnantem.*

Chondrilla

Chondrilla Sicula Tragopogonoides maritima.

Radix hujus plantæ candida, fragilis, digitalis pene craſſitudinis, altè in terram depacta, ſuperne in tres, aut quatuor partes diviſa, ex quâ *Caulis* oritur pedalis, & al-



tior, pluribus alis ramoſis donatus, concavus : *Folia* Reſedæ diviſurâ. *Flos* & *Semen* ut in Chondrillis, & cæteris Tragopogonis ſpeciebus conſpiciuntur. In arenoſo maris litore naſcitur ; in *Catanæ*, *Agrigenti*, & *Saccæ* paſtoralibus agris paſſim obvia.

Conyza

Conyza major capitata, seu globosa.

Radice constat satis crassâ; quin & *Caule*, *Foliis*, ut & *Odore* Conyzam majorem apprimè refert hæc planta: sed in flore id præcipue notandum, quod concrescat illius *discus*, seu *umbo* in globum, seu caput globosum, Lachrymæ Jobi figurâ non absimile; & insuper quod absolutis, & ad maturitatem perductis seminibus, sese aperiat caput globosum, atque *Semina* effundat in *Pappos* abeuntia; utique quod in medio capitis globosi insecta exigua ut plurimum gignantur.

Explicatio Tab. VII.

In Tab. VII. I. A. *Chondrillæ Tragopogonoidis radicem & folia inferiora, Resedæ instar divisa, humi procumbentia indicant.* I. C. A. *Ejusdem ramusculum foliis superioribus angustioribus, & capitulis onustum.* d. *Semina ejusdem papposa.* B. *Caulem ramosum Conyzæ globosæ, seu capitatæ foliis, capitulis, & floribus onustum.* c. *Caput singulare globosum cum pappo exiliente.* h. *Semina papposa inde exemta.*

Jacea Sicula, Cichorii folio, fl. luteo, capite spinoso.

Caulis huic anguloſus, & cubitum altus est, quandoque reclinatus, multis alis divisus, & concavus: *Folia* longa, aspera, duas, aut tres uncias lata, utrinque profundius dissecta, candicantia, *Foliis* Jaceæ Sonchi folio latiora. *Floribus* constat luteis, Spinæ solstitiali similibus. Capitulis, longis aculeis armatis, donatur. *Radix* alba, fibrosa. Circa *Saccam*

nascitur

nascitur; nec videtur illa, quæ sub Jaceâ cap. spinoso longis aculeis à *Bauhino* in Prodromo descripta est.

Malva Betonicæ folio.

HUmilis est hæc Malvæ species, *Cauliculo* palmari, & bipalmari, infirmo, & per terram strato, seu versus ter-



ram reclinato. *Foliis* in longioribus pediculis Betonicæ formâ constat, minoribus in ambitu crenatis, circa cauliculos paucis, è quorum sinu pediculus exit longus, *Flosculum* sustinens Malvæ vulgaris facie purpurascentem, subeunte semine mal-

malvaceo. *Hetruriæ* alumna est hæc Malva, quam in pratis, Illustrissimæ *Gaitanæ* Gentis *Terriccio* dictis, circa *Pisas* non sine tædio & molestiâ multarum circuitionum quasi latentem inveni.

Explicatio Tab. VIII.

In Tab. VIII. D. I. *Jaceæ Cichorii folio, flore luteo, capite spinoso, radicis partem superiorem, & caulem medium foliis cichoriaceis, & capitulis spinosis ex lateralibus caulibus ortis, ornatam indigitant.* e. *Semina papposa.* E. II. *Malvæ Betonicæ folio radicem, & caules procumbentes, foliis & floribus onustos.* f. *Semina (aliarum Malvarum more) deliquium patientia.*

Amaranthus Siculus spicatus, radice perenni.

Folia hic gerit figurâ, & formâ Amaranthi vulgaris minora, atque paulo acutiora, molli candidaque lanugine, subtus argenteo nitore lucenti, conferta: nascuntur circa ramos multiplices, è radice lignosa, atque perenni exsurgentes. *Caulis* pollicari crassitudine persæpe fruticat, estque juxta singulas alas quasi nodosus; spica simplicior est, & exilior quam in cæteris suæ sortis, neque ut Amaranthi spica vulgariter è pluribus compacta, sed *Floseulis* dilutè rubentibus, longo ordine simpliciter ad cacumen usque distributis constans; subeuntibus conis perquam exiguis, iisque deorsum nutantibus, in quibus *Semen* oblongum concluditur. Oritur locis *Catanæ* vicinis,

vicinis, & in *Hyblæis* Montibus restibili fecunditate luxuriat.




Explicatio Tabulæ IX.

In Tab. IX. B. *Amaranthi spicati perennis Siculi caulem foliis superioribus & floribus ornatum indicat.* D. *seu* A. S. P. *Siculus, ejusdem Caulem sub exortum foliis inferioribus, latioribus prægnantem.* e. *Capsulam quinquefariàm in margine partitam.* f. *semina.*

Alsine maritima longius radicata, Herniariæ foliis, ex Sicilia.

NOn despicienda est hæc Alsines species herbarum studiosis; neque enim se habet ut vulgaris. *Radice* nititur (pro



plantæ modulo) longa, crassa, dura, caryophyllorum & lychni-

lychnidum more, adnatis etiam appendicibus quasi ramosa, aut potius multis modis furcata : ab hac *Cauliculi* denso cespite plures gignuntur, circa quos *Folia* sunt varia ; uni quidem (in Sicilia) Herniariæ formâ & magnitudine ; alteri vero Alsines maritimæ Neapolitanæ *Columnæ*: *Flores*, & *Semina* sunt prorsus Alsines vulgaris : *Capsulas* vero non observavimus. Secundum foliorum varietatem, duas *Icones* appingere curavimus, videlicet sub Alsine longius radicata Herniariæ foliis, & Alsine angustis foliis.

Eruca pumila, Bursæ pastoris folio.

HUmilis est *planta*, cujus radicis apici innascuntur *Folia* sinuata, Bursæ pastoris figura & magnitudine, pulchre dilute virentia ; *Caules* numerosi, reclinati : *Flos* luteus : *Siliquæ* mediocriter longæ, quæ *Semen* maturum tactæ exiliendo evibrant. In prodromo *Caspari Bauhini* descripta creditur. Exit ineunte Maio inter saxa oppidi *Montaperto*, non procul *Agrigento* ; in agris etiam *Lutetiæ* vicinis frequens reperitur, ubi Novembri mense vix unciam caulis excedit.

Explicatio Tabulæ X.

In Tab. X. I. A. *Alsines maritimæ longius radicatæ radicem polyschidem, & ramulos humi projectos, una cum foliis eisdem adnascentibus ostendunt.* X. I. B. *Ejusdem caulem unicum foliis, & capsulis seminalibus oneratum.* II. C. *Erucæ Siculæ Bursæ pastoris folio radicem tenuem, folia per terram strata, & caules siliquis oneratos.* III. D. *Alsinen maritimam alteram angustis foliis.*

Gramen bicorne, seu Distachyophorum.

R *Adix* huic est *perennis*, innumeris fibris, quasi reticulato textu implicitis compacta; *Calamus* pedalis longior-



que, geniculatus, paucis foliis cinctus, ex quo adinstar juli recti

ti triuncialis longitudinis exit è folliculo *ſpica*, rubente colore prædita, quæ per maturitatem Graminis dactyli modo in furcam dividitur, unde nomen bicorne impoſuimus : ejuſdem ſpicæ glumæ in aculeos aut ariſtas tenuiſſimas & longas abeunt. Floret vere, uſque ad finem æſtatis. Ne credas naturæ luxuriantis eſſe errorem, nam in *Hyblæis* montibus, & circumfuſis campeſtribus locis illic nullum Gramen frequentius occurrit.

Alſine Lotoïdes Sicula.

HUjus plantulæ ſubrubentes, geniculati, & invalidi *Cauliculi* humi ſparguntur : *Folia* quoad ſubſtantiam ſeu contextum, non numerum, quadantenus ad Loti Lybicæ *Dalᵖⁱⁱ*, ſive Trifolii veſicarii, ſeu Halecacabi *Cam.* figuram accedunt : *Floſculi*, *Capſulæ*, & *Semen* Alſines vulgaris modo verticillatim cauliculos ambiunt. Prope *Catanam* in paluſtribus & humentibus locis inveni. Sub Alſine paluſtri, minore, folio oblongo, deſcribitur à *Bauhino* in Prodromo.

Rapuntium urens Solonienſe.

RAdix eſt huic minimi quaſi digiti craſſitudine, ex pluribus in apicem congeſtis Aſclepiadis modo, nec ſine fibris: *Caulis* pedalis, & bipedalis, atque in udis etiam major : *Folia* uncias tres longa, unam lata, ambitu crenato dilute virentia : *Flores* è foliorum ſinu exeuntes purpureo-cærulei, in fundo integri, ſeu fiſtuloſi, per oras quinquefariam, ſeu in quinque fiſſuras diviſi, Cardinalis floris aut Rapuntii coccinei

nei quadantenus æmuli; ſubſequente ſemine ruffo, pellucido, capſulis triangularibus (Rapunculorum, ſeu campanularum omnium more) incluſo. Tota *Planta* perfervidi guſtus eſt, atque guſtata linguam vellicando quaſi accendit, & urit: quin & è quacunque parte vulnerata lacteus ſuccus emanat. In Ericetis *Regiæ* intra ſepta *Chambort* paſſim in humidis viget. Et circa *Aureliam*, *Lutetiam* petens inveni. Etiam *Pariſiis* in horto Regio cultum obſervavi.

Explicatio Tab. XI.

In Tab. XI. I. A. *Gramen bicorne, ſeu diſtachyophoron monſtrat.* II. B. *Alſines Lotoïdes Siculæ caulem, foliis, & capſulis ſeminalibus onuſtum. Atque ibidem capſulam ſeminibus inde exemtis appoſuimus.* III. C. *Rapuntii Solonienſis radicem Aſclepiadis more, & caulem inferiorem foliis ſerratis onuſtum.* D. *Capſulas ſeminales.* e. *Semina minuta.* F. *Caulis ſummitatem floribus onuſtam.*


Alſine Bononienſis non aculeata.

ALſine hæc noſtras humi procumbit, atque *Cauliculis* tenuibus, rigidulis, geniculatis, in plures *Ramuſculos* diſtributis prædita eſt, circa quos *Folia* tenuia, anguſta, Tithymali leptophylli æmula, denſo ſtipatu invicem cohærent, quæ in ſeneſcente Planta, dum contrahuntur, aculeata videntur; quod errandi forte occaſionem præbuit multis, ut aculeatam Alſinen appellarent. *Floſculi* albidi, & *Capſulæ* aliarum more conſpiciuntur. *Bononiæ* vidi, & ad vicum *Chantilly* ſuburbanum *Sereniſſimi Principis Condei munificentiſſimi* Patroni noſtri.

Fungus

Fungus Siculus ſubcærulea pulpa, arillis flavis refertus.

FUngum hunc globoſa figura, nonnunquam ovata, creſcentem vidimus, nucis Juglandis magnitudine. Breviori &



Fungus subcoerulea pulpa arillis flauis donatus

craſſo *Pediculo* terræ cohæret, *Cuteque* tegitur rugis quibuſdam atque tuberculis exaſperata, adeoque dura & craſſa, ut corium repræſentet ; *Pulpa* alioquin interiore, inchoata maturitate, ſubcærulea, abſoluta *arillis* compluribus flavis referta. Hujus coriacei corticis decocto *Meſianenſes* mulierculæ pannos lanaſve ſubpurpuraſcente colore inficiunt. Autumni exitu menſe Martio colligitur eſui aptus, ubi & Catatumphuli nomine notus.

Fungus

Fungus Malicorii facie.

EST & hic quoque fungus notatu dignus, Mespili facie, lævis, vesicæ forma, nigricantis coloris, intermediis fibris terræ cohærens. *Pulpa* illi ut cæteris rara, sed *Cutis* per maturitatem dura, ad instar corticis Mali Punici. Oritur in silvis *Bargæ* in Hetruria.

Lychnis omnium minima, ex monte Argentario.

RECtus huic (nec proposita figura major) *Cauliculus*. *Folia*, *Flos*, & *Capsulæ* quoque, quibus semina includuntur, Alsines hirsutæ sunt, singulis tamen multo minoribus. In monte *Argentario* inter saxorum rimas & hiatus frequens pullulat.

Explicatio Tabulæ. XII.

In Tab. XII. I. A. *Alsines Bononiensis binos ramos foliis onustos ostendunt.* II. B. II. B. *Fungos subcærulea pulpa arillis flavis donatos.* III. C. *fungum Malicorii facie.* IV. D. *Lychnidem minimam ex monte Argentario foliis & capsulis seminalibus præditam.*

Peplis annua, foliis acutis, flore muscoso.

DOdrantalis est huic *Caulis*, subrubens: dum in hortis colitur, ampla laxaque *Umbella*, & quasi comosa, alioquin contractiori donatur, ubi natali loco spontanea est. *Folia* exigua è rotundo acuminata sunt, herbæ terribilis minora:

minora: *Flores* muscosos gerit: *Semina* vero in capsulis ad Echini formam aliquatenus involucris suis accedunt. In agro Lugdunensi frequens inter segetes reperitur.

Limonium marinum, fruticosum, hirsutum.

DEnsa ramorum digitalis crassitiei congerie fruticat Limonium nostrum minimum, oblongis, cordatis, hirsu-



tisque *Foliolis*, crassis etiam ac instar Sedi cujusdam in orbem compositis, *Ramorum* cacumen occupantibus; è quorum centro *Cauliculus* interdum exit cum *Flore* & semine

uncialis, vel biuncialis, aliquando longior. Licet idem hoc videri possit cum *minimo Bauhini* in Prod. descripto, ob insignes tamen quas protuli notas, quibus ab isto *Bauhino* variat, hic inter hunc meum rariorum Plantarum fasciculum non immerito sibi locum vindicet. In Insula *Divæ Margaritæ*, & scopulis, saxisve ad oram maritimam *Galloprovinciæ* sitis, inveni plurimum.

Limonium maritimum minimum Bauh. Prod.

FIguram tantum exhibuimus, quod à nullo hucusque proposita sit, adhibita insuper descriptione ex *Bauhini Prodromo*. Tota Planta uncias quatuor vix excedit; nam ad radiculam oblongam, rufescentem, in summo divisam, *Foliola* minima, subrotunda, crassa, Sedi instar compacta, inter quæ *Cauliculi* unciales, pauculos *Flosculos* pallide rubentes, vel subcæruleos sustinentes, exsurgunt. Hoc in Insula quadam, non longe *Massilia* provenit.

Conyza Melitensis retusis foliis.

COnyza hæc *Melitensis* surculis pullulat pluribus pedalibus, rectis, ramosis, à duriore pilo subasperis, *Foliis* pariter hirsutis, inordinate *Caulem* ambientibus, oblongis, indivisis, Hyssopi, aut Oleæ *Foliis* non dissimilibus, atque per extremum retusis: *Flores* huic radiati, in cacumine caulium auri luteo colore splendentes; quibus flaccescentibus

bus succedunt *Semina*, quæ Conyzarum more in *Pappos* solvuntur. An descripta sit, nihil asseverabo; certe inter raras & elegantes locum suum merito tueri potest. Gignitur inter difficultates, & acclives ascensus saxorum & cautium *Melitæ Insulæ*, sub *Patrum Capucinorum Cœnobio*, ubi Dominus *Bonamicus* Medicus eruditus Anno 1668. nobis primo monstravit, atque ejusdem natales indicavit.

Explicatio Tab. XIII.


In Tab. XIII. I. F. *Peplin annuam foliis acutis indicat.* II. G. *Radicis partem superiorem Limonii maritimi fruticosi, ramusculis & foliis oneratam.* X. *Ramusculum foliis distinctius appictis.* III. H. *Limonium maritimum minimum, Bauh. Prod.* IV. K. *Conyzam retusis foliis ex Melita ramosam.* a. *Ejusdem semen papposum.* IV. L. *Ejusdem cauliculum foliis retusis longioribus.*

Lychnis foliis glabris, calyce duriore.

EX Siculo semine *Lutetiæ* sato nata est *Planta*, *Caulibus* pedalibus, gracilibus, geniculatis, ramosis donata, *Foliis* ad singulos articulos binis sibi oppositis, angustis, duris, per extremum acuminatis, prorsus Vetonicæ Caryophylleæ æmulis: *Floribus* ornatur in fastigio cauliculorum ex calyce oblongo, canulato, dilute purpureis, quinque petalis præditis, Pseudomelanthii similibus; quibus evanidis succedit oblongum *Pericarpium*, longiori pariter pediculo donatum, *Semine* minuto, fusco prægnans. In proclivis circa *Messanam* locis copiose nascitur.

Paſtinaca tenuifolia Sicula, hirſuta, criſpa.

PEdalis eſt hæc planta, ſubinde majoris altitudinis: *Caulis* illi rotundus, hirſutus; *Folia* craſſa, criſpa, & illa



quoque non leviter piloſa: *Umbella* latior, Crithmi ſpinoſi forma, at *Semina* aſperiora quam ſilveſtris anguſtifoliæ vulgaris. Inter *Leocatam* & *Agrigentum* naſcitur, in ſcopulo dicto *San Nicolo*.

Ranunculus Alopecuroïdes Ajugæ foliis.

EST *Plantula* hæc radice parva: *Foliola* habet plura, hirſuta, Ajugæ foliorum diviſura valde æmula, exiliora tamen

men, ac longiora, sæpe iterum atque iterum divisa: *Caulículi* plures enodes, aphylli; quorum summitati *Flosculus* luteus quinque foliis constans insistit; quo evanido, assurgit *Spica* leviter pilosa uncialis, biuncialis, ex *Siliquis* pluribus falcatis, sibi invicem dense congestis atque compactis, conflata, in quarum interstitiis reperiuntur *Semina* arcte rotatim addacta per intervalla: tota *Spica* (uno verbo) caudam parvam vulpinam refert, unde nomen à nobis inditum. Describitur pro Melampyro ab adversariorum autoribus. A D^no^ *Morisono* pro Ranunculo exhibetur *Præludiorum Botan. pag.* 299. & bene. Præcox est, & annua Plantula. Nascitur prope *Massiliam*, & *Aquas Sextias* in *Galloprovincia*.

Explicatio Tabulæ XIV.

In Tab. XIV. I. L. *Lychnidem glabris foliis calyce duriore repræsentat.* II. M. *Folium integrum cum pediculis suis lobis ornatis pastinacæ hirsutæ, crispæ, tenuifoliæ.* II. M.e. *Caulem foliis superioribus & semine onustum.* III. N. *Ranunculum Alopecuroidem Ajugæ foliis.* III. O. *Ejusdem figuram ramosam & contractiorem.*

Atriplex minima, angustifolia, maritima.

FOlia huic angusta sunt, Antirrhini minimi facie, incana pulveris marisque aspergine semper sordentia: *Semina* in exiguis nodis, capituli modo in unum conjectis, singulis tamen binis foliolis inclusis, *Spicam* quasi racemosam componunt, Kali minimi forma. A *Bigarone* Pharmacopola ex *Stæchadibus* allatam habui. Planta non multo major Icone est.

Corono-

Coronopus Siculus, fruticosus, platyphyllos.

NIhil differt ab aliis Coronopi speciebus hic, nisi quod crassa *Radice*, atque in summo multipliciter brachiata



quasi fruteſcat. Ei *Folia* sunt hirsuta, lata, brevia, paululum in ambitu divisa, quæ denso cespite *Plantam* coronant. In plaga maritima *Brazzetto* dicta, prope *Pachinum Promontorium* videre licet.

Clematis

Clematis tetraphylla Americana.

RAra hæc, & peregrinæ elegantiæ *Planta*, ad Clematidum genus, & earum ſtirpium numerum, quæ adminiculis fulciuntur, revocari debet. Promit illa à *Radice* perenni, lignoſa, *Caules* plurimos, quorum qui vetuſtiores, lignoſi quoque ſunt, novelli vero teneriores, prolixi, geniculati, rotundi, graciles juncis, lyrarum fidiumve chordis pares, quibus tanquam *capreolis*, & *viticulis* uſa (leguminum, & bacciferarum ſcandentium more) pergulas, aut pedamenta proxime aſtantia, hortenſeſque ſcenas ſcandit, quibus facili negotio innectitur, illaſque conveſtit; *Foliis* quippe luxuriat, quum è ſingulis geniculis, bini *Pediculi* contra ſe poſiti naſcantur, binaque ſinguli *Folia* ſuſtineant longa, pulchre virentia, ad Mali Perſicæ ſive Hemionitidis vulgo exiſtimatæ faciem colore ſuo accedentia, inter quæ medius exit *Capreolus* intortus, quo adminiculo quæque prope aſſiſtentia apprehendit. *Flores* ſecundum *Cauliculos* ad foliorum exortum è *Pediculo* unciali pendent, decenter incurvi, oblongi, cavi, rotundi, forma atque magnitudine florum digitalis lutei minoris, per oras ſimiliter inciſuris quinque varie diviſi, colore qualis in Avellanæ nucis cortice, vel Cannella aut Cinamomo vulgariter ſic dicto conſpicitur; quatuor intus ſtaminibus, ſingulis *Apices* binos gerentibus foliaceos, nigricantibus maculis notatos, ſubſequuntur *Siliquæ* figurâ Smilacis hortenſis quibus *Semen* includitur. *Florentiæ* vidi in hortis illic peramænis. Hyeme ſupereſt, frigoris (ni acerrimum fuerit) patientiſſima.

Expli-

Explicatio Tab. XV.

In Tab. XV. I P. *Atriplicem anguſtifoliam maritimam minimam indicant.* II. Q. *Coronopi radicis partem ſuperiorem plurifariam furcatam, foliis latis & caulibus ſpicis oneratis.* III. R. *Clematidem tetraphyllam.* a. b. *Ejuſdem florem unifolium in margine quinquefariam inciſum.*

Frumentum Indicum ſpica diviſa, ſeu polyſtachites.

QUantum vulgare frumentum aſſuetis oculis gratum & jucundum, tantum rarioris ſpectaculi ſemper erit triti-



cum Turcicum, quod *Mais* vocant, ob *Spicas* prægrandes, atque toroſas,

torosas; rarius vero, & spectabilius illud ipsum videri potest, ubi quis *Spicas* illas in plures findi observaverit. Nam, ut in



tritico nostro quandoque fieri contingit, in hoc *Indico* alias *spicas* minores circum adnatas veluti *Ramos* spargere observamus, ut ex *Icone* nostra primo intuitu quivis discere potest. Nunquam cessat natura, in magno gaudio fertilitatis suæ, ulterius progredi, in iis autem maxime, quæ homines juvant, aluntque. Ipsius hujus tritici peregrini calamo ad-

natos sæpenumero observavi fungos, ceparum instar, è pluribus tunicis compactos, qui tandem nigrescentes in pulverem abiere. In *Calabria* inveni ad pagum & *Cœnobium Sancti Dominici Soriani.*

Limonium lignosum, Gallas ferens.

PUlcherrimum profecto est Limonii hoc genus, etiam bacciferæ Salviæ, in calidis *Cretæ* locis provenienti, raritate & elegantia par. *Radix* ei lignosa, coloris rubri Brasilii, humano crure subinde crassior atque prolixior : ab hac *Cauliculi* plures, in multiplices alas distributi, humi sternuntur Polygoni maris modo, circa quos *Folia* Oleæ vel Halimi vulgaris æmula conspiciuntur, tactu aspera : quandoque una cum *Cauliculis* (supra quam cuiquam credibile est) numerosâ gallarum, seu potius nodulorum, seu tuberum provenientium copiâ onusta *Ramorum* pars superior. Ex iisdem gallis noduliſve, atque ex ipsius plantæ foliis sæpenumero procreantur & protruduntur oblonga foliola furcata, versus extremum ungues avium referentia, ac sursum erecta, quorum è sinu alternatim exeunt *Flores*, Plumbaginis aut Syringæ cæruleæ *Florum* forma : Gallæ autem interdum quernæ glandis magnitudinem æquant. *Agrigenti* locis incultis magna fœcunditate, majorique nobis oblectamento luxuriantem plantam, *Gallis* noduliſve suis venuste oneratam, offendimus.

Limonium

Limonium lignosum Gallis viduum.

OMnibus suis partibus supradicto Limonio non absimile esset, si gallos noduloſve proferret, paremque *Foliorum* magnitudinem assequeretur. Ad *Pachynum Promontorium* in loco *Brazzetto* dicto visitur.

Apocynum Canadense foliis Androsæmi majoris.

HÆC planta raritate atque elegantia insignis, *Arbusculæ* more erigitur: *Caule* pedali & longiori, enodi, aphyllo, subrufo, superne in varios atque multiplices *Ramos* distributo atque diviso, donatur. *Folia* bina subrotunda, Androsæmi majoris foliis quam proxime accedentia, è regione petiolis suis *Caulibus* adhærentia, adornant totius plantæ compagem. Ab extremis cimis *Caulium* exeunt ramatim *Flosculi* è diluto rubore leviter purpurascentes, Lilii convallium aut Unedonis caliculati; quibus subeunt *Siliquæ* Asclepiadis angustiores, candida intus lanugine, & semine compresso, plano, subrufi coloris refertæ: *Radices* longe lateque sub terram serpentes admodum *vivaces* sunt, & subinde progerminant in calcatis areolarum semitis. Lacteo succo scatet, qui emanat quacunque parte vulneretur, ceterorum sui generis omnium adinstar. Muscarum pernicies est, si *Floribus* insideant. *Lutetiæ* in *Horto Regio* videri poterit copiose.

Explicatio Tabulæ XVI.

I. *Frumentum Indicum spica polystachiophora, seu multipliciter*

divisa, cum particula culmi thecam emittente, & folio sursum tendente, ostendit. II. *Limonii lignosi ramum foliis, & gallis seu tuberculis, ab insecto sese ibidem includente factis, præditum.* II. a. *Ejusdem Limonii caulem foliis tantum præditum, sine gallis aut tuberculis.* III. *Apocyni Canadensis foliis Androsæmi majoris caulem, foliis, floribus, & siliquis binatim conjunctis oneratum.*

Explicatio Tabulæ. XVII.

In Tab. XVII. *A. indicat caulem cum galla seu tuberculo foliis & floribus onustum.* B. *Ejusdem caulem sine Floribus.* c. c. c. *Flosculos.*

Hippomarathrum Siculum.

Radix huic longa, crassa, summa parte (ut pleræque ferulacei generis plantæ) villosa: *Caulis* cubitalis, aut bicubitalis, interius *fungosus*, exterius *striatus*, seu *sulcatus*, multis alis hinc inde à *Caule* præcipuo emergentibus: *Folia* Peucedani, quandoque Seseli, aut Fœniculi modo divisa, duriora, & firmiora tamen. Sic enim in *Sicilia Planta* hæc sponte nata foliis ludit, comantibus semper in *Umbellis*, magnis, pluribus flosculis luteis; quibus discussis atque evanidis, exterius succedit *Pericarpium* fungosum, sulcatum, asperum, pisi maximi magnitudine, quod adhuc viride tam arcte conjungitur, ut unum videretur; cum exsiccatur tamen binatim finditur. In singulis *Pericarpiis* hujusmodi fungosis, latent singula *Semina* oblonga, Tritici grano paria. *Honorius Bellus*, *Caspar Bauhinus*, & *Prosper Alpinus* hujus Hippomarathri meminere. *D. Morisoni* p pomarathrum hoc describit sub Cachryos

Cachryos nomine, Peucedani folio, ſemine fungoſo, ſulcato, aſpero. Propter fungoſum *Pericarpium* Semen obtegens, fa-



cile Cachryos omnes ſpecies detectæ à prædicto Domino, vel detegendæ aut ab ipſo aliiſve cognoſcuntur. Paſſim *Panormi Agrigenti*, & *Meſſanæ* locis *li Pirreri Santa Agata Brazzo di San Raneri* dictis, alibique per *Siciliam* conſpicitur ſatis frequens. Expli-

Explicatio Tabulæ XVIII.

In Tab. XVIII. A. *indicat radicis partem Hippomarathri Siculi cum caulibus & ramis semine onustis.* c. *Umbellulam.* a. a. *Bina semina conjuncta & adhuc viridia.* b. b. *Semina bina exemta.*

Linaria Sicula multicaulis, Molluginis folio.

Caules huic nostræ Linariæ sunt cubitales, rotundi, ramosi,



subrubentes: *Folia* angusta, unciam longa, inferiora circum

cum *Genicula* ſtellatim radiata Molluginis inſtar, ſuperiora autem inordinate diſpoſita, illaque Kali modo carnoſa, ſulco canulato per longitudinem decurrente. *Lutetiæ* verſus finem autumni hujus Linariæ *Folia* frigoris inclementia criſpabantur: *Flores* lutei, & vulgaris Linariæ minores. *Floribus* fatiſcentibus ſuccedunt *Capitula* rotunda, in quibus *Semen* latet. *Radix* perennis, tenuis, & fibroſa ſubeſt huic Linariæ, quæ tota æſtate floret *Panormi*, & copioſe etiam alibi, in Sicilia. An Linaria *Cretica* anguſtifolia *Cluſii*.

Tithymalus Siculus polycoccos Portulacæ folio.

NOſter Tithymalus aſſurgit *Caule* pedali aut altiore, ſuperne amplo & valde ramoſo, *Foliis* ad Portulacæ, vel Tithymali helioſcopii figuram circumveſtito. *Flores* & *Semen*, ut in ceteris ſuæ claſſis, in alarum ſinubus atque ipſis ramis inſident, & ordine diſtribuuntur; rotundis ſubſequentibus capitulis, binis tenuibus apicibus donatis, in quibus *Semen* Cannabis figura, atque colore concluditur. Ea eſt plantæ ejuſque alarum durities & contumacia, ut media hyeme arida, & *Foliis* ſpoliata perduret adhuc, & *Capſulas* ſeminum (quod notatu dignum) unguibus frangere, aut evellere (adeo pertinaciter hærent) ſine rami particula non poſſis. Ex *Semine* deciduo quotannis renaſcitur. Hujus meminit Doctor *Hyacinthus Ambroſinus Bononienſis* in ſua Phytologia in folio 532. ſub nomine Tithymali Bacciferi; an idem cum noſtro judicare poteſt *Jacobus Zanoni* Pharmacopæus, & Botanicus ejuſdem urbis laudatiſſimus, ad quem è Sicilia ſemina noſtri tranſmi-

transmisimus. Tota planta succo lacteo (ceterarum suæ sortis more) turget.

Explicatio Tabulæ XIX.

In Tab. XIX. A. *Denotat folia Linariæ Molluginis folio per terram strata.* B. *Ejusdem flores in cimis.* C. *Ejusdem capsulas seminales itidem in cimis.* D. *Tithymali polycocci folia sub exortum Portulacæ instar.* E. *Radicem.* F. G. *Ramos seminibus onustos.* h. i. *Semina ejusdem.*

Pulegium tomentosum minimum.

A Vulgari Pulegio nihil discrepat nisi parvitate, & foliis longioribus, atque lanuginosis. Plantula hæc ad dimidium palmum non accedit. *Flores* non bene expressit sculptor. In pratis non procul à *Corleone* in *Sicilia* inveni.

Gnaphalium Alpinum nanum, seu pumilum.


HOC, Gnaphalio montano simillimum, sola partium singularum exilitate differt, figuram enim propositam parum excedit. In monte dicto *Cinione di Farnano* prope *Mutinam* viget plurimum.

Polygonum capitulis ad Genicula echinatis.

HUIC Polygono tenuis est *Radix*, prolixa, & dura: *Caulículos* habet tres aut quatuor humi jacentes, palmares, circa quos *Folia* Herniariæ, aut Polygoni montani, in crebris

Ceni-

Geniculis plura simul juncta, atrovirentia, inter quæ nescio quid *Flosculorum* muscosorum apparet, subsequentibus verti-



cillis brevibus aliquot apicibus, veluti echinatis, in quibus minutum *Semen* includitur. In *Ilua* insula juxta *Portolongoni* munimenta, & nova mœnia visitur.

Juncellus minimus capitulis Equiseti.

JUncello noſtro multæ ſunt *Radiculæ* repentes, non ſine fibris capillaceis, è quibus enaſcuntur ſtili, ſeu junci plures, tenuiſſimi, unciales, biunciales, quorum ſinguli capitulum minimum ſuſtinent Equiſeti æmulum. Ad ripam *Ligeris* vidimus.

Potamogeiton puſillum fluitans.

PRO *Radicibus* huic ſunt fibræ longiſſimæ: *Cauliculus* dodrantalis, tenuis, ramoſus: *Folia* longa, inordinate diſpoſita, pene capillacea, quandoque Fœniculi ſive Peucedani ſimilia. *Floſculi* in biunciali pediculo ſunt muſcoſi, ſpicati, ſubſequentibus Granis minutis, & aſperis, compluribus ſimul conjunctis. *Catanæ* è fontibus eduximus. Species hujus longe amplior prope *Lutetiam*, in *Sequana* fluvio viſitur. *Caſparus Bauhinus* utriuſque meminit.


Explicatio Tabulæ XX.

In Tab. XX. I. *Gnaphalii Alpini pumili radicem, folia, & caules floribus oneratos oſtendit.* II. A. II. A. *Pulegium tomentoſum minimum.* III. *Polygonum capitulis inter Genicula echinatis.* IV. *Juncellum capitulis Equiſeti, duplici figura.* V. *Potamogeiti puſilli figuram; ubi vitioſe exhibentur flores à calcographo: debent eſſe Galeati vulgaris more.*

Rhamnus

Rhamnus Siculus pentaphyllos.

ELegans hic *Frutex* veteribus, atque neotericis Botanicis incognitus, Rhamni ſpeciebus adſcribi debet, tota figurâ, ac partibus ſingulis ſpeciem Rhamni teſtantibus. Com-



pluribus virgultis Pruni ſilveſtris modo fruteſcit, & humanæ proceritatis modum ſeu menſuram nonnunquam ſuperat. Huic rami multiplices, & varii, duris & craſſioribus ſpinis

armati: *Folia* in singulis pediculis quina, quorum singula Jasmini lutei foliis sunt anguſtiora, indivisa, versus extremum latiora, atque rotundiora, hilari virore nitentia: *Flores* candidi, plures ab uno pediculo tenui, longo, racemoso penduli, quibus fatiscentibus succedunt *Baccæ*, Myrtillorum baccis similes, aſt majores, per maturitatem rubræ, *Putamine* osseo & duro præditæ, in quo *Nucleus* tenui membrana vestitus. Prope *Panormum* in agro dicto *Fundaco dell' Abbate* ad sepes: in *Africa* etiam nasci nonnulli dicunt. A colonis & villicis circa *Panormum* dicitur *Zaccati*.

Explicatio Tab. XXI.

Tab. XXI. *Rhamni pentaphylli designat caudicem spinis longissimis, atque foliis quinis in unum centrum concurrentibus, & à longis pediculis pendentibus.* a. & b. *Ramusculos in summitate foliis & fructibus oneratos indicant.*

Linaria Sicula, latifolia, triphylla.

Caules habet rotundos, glabros, pedales, subinde majores, quandoque plures ex unâ *Radice* exeuntes: *Folia* terna, subrotunda, unciam lata, nonnihil longiora, ordinatim adversis inter se petiolis disposita, bina tantum in summo *Caule*, cujus extremo spica *Florum* eminet, Linariæ vulgaris ritu; *Flores* singuli anterius rictu, & posterius calcari cæruleo pallescente donantur. Sequuntur *Capsulæ* (congenerum more) in quibus continetur exiguum *semen*: *Radix* subest fibrosa. Floret æstate in montibus *Hyblæis*, circa *Syracusas*, & alibi illic passim reperitur. Bauhiniana

Linaria

Linaria triphylla latifolia (excepta nota Brachiata in *Caulis* ſummitate) cum noſtra omnino convenit.



Explicatio Tab. XXII.

In Tab. XXII. A. *Indicat Linariæ plures cauliculos ex radice emanantes foliis tantum onuſtos.* B. *Unum cauliculum cum floribus.* d. *Semen.* C. *Ejuſdem caulem foliis latioribus præditum.*

Thlaſpi biſcutatum Raphani aut Irionis folio.

CUM omnibus biſcutatis Thlaſpios ſpeciebus convenit hæc noſtra *Caule*, *Flore*, *Fructu*; *Foliis* ſolummodo diſcrepat, quæ Raphani aut potius Irionis forma, & magnitudine ſunt: *Radice* eſt admodum exili & imbecilla, ex qua

ſæpe-

sæpenumero plures *Cauliculi* exeunt. *Annuum* est hoc no-



strum. Circa *Panormum*, *Agrigentum*, & *Massiliam* copiose gignitur, locis in incultis & asperis.

Explicatio Tabulæ XXIII.

In Tab. XXIII. I. *Thlaspios biscutati Irionis folio Semina biscutata*

biscutata in summitate caulis indicat. II. *Ejusdem Thlaspios interiora folia per terram strata, & caulem floribus oneratum.* III. *Folium superius sinuatum.*

Parietaria Sicula Alsines folio.

A Parietaria minore *Tragi* & à vulgari *Matthioli* differt



hæc *Foliis* tantum, quæ minima sunt figura atque magnitudine

gnitudine Alsines paria. Singularum A. a. B. B * Icones in tabella nostra discriminis gratia proposuimus. Nostra passim per universam *Siciliam* viret: in montibus *Hyblæis* oppido *Mililli* vicinis, *Catanæ*, *Messanæ*, & Agrigenti sæpius vidimus, & legimus. *Romæ*

Explicatio Tabulæ XXIV.

In Tab. XXIV. A. *Indicat Parietarim Helxines folio.* a. *Ocymi folio.* B. *Alsines folio, una cum caule seminibus onerato.* B * *Ejusdem folia per terram strata cauliculis innixa, sine Seminibus.*

Alsine palustris Serpilli folio.

PArvis est *Foliis* carnosis, Gratiolæ Hyssopifoliæ angustioribus, ad cauliculorum humi jacentium nodos binis ex adverso positis; *Floribus* in foliorum sinu rubentibus, exiguis capsulis, & semine Alsines vulgaris. Integra planta dimidiæ palmæ magnitudinem vix æquat. Locis palustribus circa *Syracusas* nascitur.

Horminum spicatum Lavendulæ flore, & odore.

HOrmini hujus in *Sicilia* nati *Caulis*, *Folia*, *Semina* Hormino Sclarea dicto non sunt dissimilia; *Flosculi* purpureo-cærulei Lavendulæ florum forma, & magnitudine, *Caulem* quadratum verticillatim per intervalla ambiunt, in longissimæ spicæ modum digesti; quos subsequuntur *Vascula* quinquefariam denticulata in margine superiore, quæ sursum versus erecta, caulique appressa, & subrubentia, quasi biforæ plantæ, peramœna

peramœna ſpecie, prolixam, & non marceſcentis coloris cærulei *Spicam* iterum efficiunt. Tota planta arida ſua-



vem Lavendulæ *odorem* ſpirat. Ad bicubitalem altitudinem aſcendit. Prope *Agrigentum*, & *Cainatatam* exit plurimum. An deſcripta ſit affirmare non audeo.

Braſſica ſilveſtris Fabariæ foliis.

CAulis huic eſt pede longior, tenuis, ramoſus, teres, quem amplectuntur (Perfoliatæ modo) lævia rotundaque Telephii folia, ambitu nonnihil ſinuata: *Floſculi* in ſummitate purpuro-cærulei; quibus ſuccedunt *Siliquæ* anguſtæ,

ſtæ, & longæ. Non differt à Braſſica ſecunda ſilveſtri, Cluſ. niſi *Radice*, quæ in noſtra perennis eſt. Ad *Tauromenum* inveni. Accepi itidem à *Johanne Ruſtici* ex *Colletano*.

Explicatio Tabulæ XXV.

In Tab. XXV. I. I. *Alſinen paluſtrem Serpilli folio* * *bis offert.* II. *Hormini ſpicati Lavendulæ odore ramos tres, cum capſulis verticillatis per intervalla ipſis annexis.* a. *Verticillum integrum majorem.* III. *Braſſicæ ſil. Fabariæ foliis caules, foliis & ſiliquis onuſtos.* IV. *Eoſdem caules cum foliis & floribus.*

Ariſarum Potamogeiti folio.

Radice, *Caule* maculato, cum aliis Ariſari ſpeciebus congruit, at *Folia* unciam lata, duas longa, ſubtus paululum nervoſa, & per terram ſparſa, quadantenus Potamogeiti rotundifolii ſunt ſimilia : *Flos* brevior, & radii textoris inſtar apertus, exili piſtillo piloſo prægnans, extremo mucronato, & hami modo adunco. Natales illi *Saccæ*, & *Panormi* in ſilvula *Sanctæ Mariæ* à *Jeſu fratrum* ſtrictioris obſervantiæ *Sancti Franciſci*.

Stramonium ferox.

AD Stramonii majoris, (quod Datura quibuſdam dicitur) altitudinem prope accedit. *Ramis* conſtat late expanſis, quaſique brachiatis ; *Caule* craſſo, cavo, medulloſo, & ramoſo ; *Foliis* angulofis, ſinuatis, ad Atriplicis, pes anſerinus dicti, *Folia* accedentibus, majoribus paulo atque craſſioribus,

ribus, è virore palleſcentibus: *Flores* ad ramorum pene omnium diviſionem candidi obſoleti, cæruleive, qui in *Folliculo*



quinquangulari è longo tubo in calathum laxantur continuum, quinis angulis, quiniſque fiſſuris diſtinctum: in hiſce *Floribus* ſunt *Stamina* quinque cum piſtillo. Florem excipit *Fructus Nuci juglandi* magnitudine & formâ ſimilis, craſſioribus quam in Datura putata, ſpinis horridus & ſenticoſus, unde ferox mihi dicitur, quatuor membranis intus diviſus, è

quibus neſcio quid fungoſum reflectitur, cui *Semen* adhæret copioſum renis formâ, rugoſum, ſeu aſperum, medulla alba refertum. *Radix* ſubeſt è numeroſis fibris compoſita. Floret *æſtate*, & ſemen perficit verſus finem *Autumni*. *Annua* eſt. *Lutetiæ* vidi.

Explicatio Tabulæ. XXVI.

In Tab. XXVI. I. b. *Radicem folium & florem ex longiſſimis pediculis emittentem indicat Dracunculi Potamogeiti foliis.* I. a. *Ejuſdem radicem plurima folia & florem emittentem.* e * *Caput ſpinoſum Stramonii ferocis, cum foliolis idem claudentibus.* c * *Folium inferius ejuſdem ſinuatum.*

Chryſanthemum Canadenſe humilius.

FOliis eſt planta hæc peregrina obſcure virentibus, nervoſis, minime ſinuatis, Chryſanthemi, *Flos Ferneſianus* dicti, foliis minoribus, rugoſis, & aſperis; *Capitulis*, *Flore*, & *Semine* Chryſanthemi; *Flores* enim luteo colore nitent: *Radix* perennis eſt. A *Domino Moriſono* deſcribitur una cum ſequente, in præludiorum ſuorum Botanicorum. *Pag.* 251.


Chryſanthemum Canadenſe Latifolium elatius.

CUM priore convenit in omnibus, niſi quod *Folia* latiora & longiora, dilutius virentia, atque ſinuata, ſeu dentata producat. In hortis *Bononienſibus* & *Florentinis*, nec non *Pariſiis*

Parisiis in horto *Domini Francisci Blondel*, rei Herbariæ & medicæ peritissimi, uterque colitur.

Crithmum Siculum, Baticulæ alterum genus Cæsalp.

Caulis huic plantæ nostræ rectus est & ramosus; *Folia* Laciniata, dura, & quam Fœniculi marini, vulgariter sic



dicti latiora; *Umbellæ* pares; *Semina* bina, quæ simul conjuncta Coriandri instar divisa, etiam striata sunt, Fœniculi seminis modo: *Radix* longa, crassa, ad ligni naturam propius accedens, & singulis annis regerminans perennat. Illius *Iconem* dedimus, sed oscitantia pictoris adolescentem plantam solummodo pinxit, cum etiam adultæ copiam facere decrevissem.

sem. Asperis, & saxosis gaudet locis prope *Panormum* in monte *Peregrino*, ut & alibi videre est.

Campanula rotundifolia Caetana longius radicata.

RADIX hujus alte in terram depacta est; *Caules* multi sunt



pedales, duri, rigidi; *Folia* Cymbalariæ rotunda, leviter sinuata,

sinuata, ab imo usque ad fastigium ferme æqualia: F*los* aliarum Campanularum formâ, cæruleus, item & *Semen* pellucidum, ruffum. E rimis saxorum erumpentem prope *Catanam* inveni. Differt ab ea, quæ Cymbalariæ foliis dicitur *Casp. Bauhino*, *Radice*, sed præcipue *Foliis* superioribus minime angustis.

Explicatio Tabulæ XXVII.

In Tab. XXVII. C * & * C. *indicant Chrysanthemum humilius.* * A. *Chrysanthemum elatius.* D. E. *Crithmi Siculi seu Baticuli* 2. *Cæsalp. Radicis partem, folia tantum protrudentem.* G. *Campanulæ rotundifoliæ Caetanæ radicem.* F *Ramusculos foliola rotunda gerentes in summis caulium.*

Explicatio Tabulæ XXVIII.

In Tab. XXVIII. D. *Crithmi antedicti radicem indicat.* E. *Folia latiora pediculis longioribus innitentia.* F. *Folia angustiora.*

Thlaspi Latifolium platycarpon Leucoii foliis.

HÆC Thlaspios species *Surculis* fruteſcit fragilibus, cubitalibus, subinde majoribus, rotundis, circa quos *Folia* plura, nullo ordine servato, dense congesta sunt, crassa, glabra, indivisa, Leucoii æmula, per extremum retusa: summitatem occupant *Flores* Leucoii, albidi, quorum singuli quatuor *Foliolis* albidis constant, quasique in *Umbellam* congesti; quos excipiunt *Vascula* bisulcata, seu biscutata, omnis hujus generis Thlaspios more, in quibus utrinque compressum continetur *Semen*: *Radix* subest crassa, vivax. Idem est (ut puto)

to[ ]) quod describitur à *Casp. Bauhino* in *Prod.* Per totum annum floret in *Sicilia*, ut videre est in loco *Mariduci* dicto, prope *Panormum*.

Polygonum muscosum minimum.

Caulículis est pluribus uncialibus dense geniculatis ; *Foliis* crebris, capillaribus, brevissimis, radiatim ad caulicu-



lorum nodos dispositis ; *Floribus* herbaceis ; minutissimo semine eisdem succedente. Tota planta absoluta est, humi jacens, Camphoratæ congenerem plantam æmulans. Cum primum exit, *Julum* quendam minimum primo aspectu refert.

Prope

Prope *Catanam* in *Sicilia*, & in ambulacris horti *Pisani* crebro reperitur, & deciduo *Semine* sese propagat.

Explicatio Tabulæ XXIX.

In Tab. XXIX. F. *Caulem Thlaspios fruticosi Leucoii folio, & vascula platycarpa quasi congesta in capitulum ostendit.* G. *Ramusculum fol. & floribus oneratum.* B. D. *Ramulos plurimos ex eadem crassa radice partim floribus partim capsulis oneratos.* f. f. *Capsulam platycarpam.* g. *Dimidiatam capsulæ partem.* h. i. *Semina ejusdem compressa.* P. *Polygonum muscosum minimum.* Q. R. *Ejusdem ramos seminibus onustos.*

Pimpinella Agrimonoïdes.

HÆC *Folia* producit oblonga, è pluribus lobis, ad unam costam seu pediculum juxta se positis, quorum singuli Agrimoniæ quadantenus similes, sed rotundiores sunt, & leviter hirsuti, atque in ambitu crenati. Inter *Folia* humi strata, odorata, assurgunt *Caules* recti, cubito altiores interdum, paucis foliolis vestiti, atque in plures ramos distributi; in quorum cacuminibus *Capitula* eminent cum *Flosculis* & *Semine* aspero, seu rugoso, spicatim dispositio, more aliarum Pimpinellarum spicatarum. Tota planta cum suavitate odorata est, unde Agrimonoïdes dicta, quod Eupatorium Græcorum odoratum odore æmuletur. *Pisano* & *Parisiensi* in horto cultam observavimus. Ejus optima effigies cum descriptione à *Dom. Morisono* exhibetur in umbellarum suo specimine.

Saponaria fruteſcens acutis foliis, ex Sicilia.

HUjus plantæ *Caules* ſunt rotundi, cubitales, geniculati, ramoſi: *Folia* anguſta, foliis Oleæ paulo latiora, & a-



cutiora, ad Myrti majoris folia accedentia, in ſingulis geniculis

lis bina: caulium extremis insident *Flores*, longis calycibus glabris inserti, quinquefolii, exigui, roseo-rubenti colore præditi. *Radices* crassæ, perennes, hyemis patientissimæ, quibus, singulis annis recurrentibus, planta regerminat. Hanc *Cæsalpinus* sine *Icone* descripsit, cui, à Lychnide silvestri sempervirenti Clusii non discrepare videtur, quamvis in pinace *Bauhini* distinguatur specie. Hujus *Icon* exactissime delineata est à *Camerario* in hortis, sub Ocymoides fruticosum. Circa *Panormum* & *Agrigentum* inter saxa ubique erumpit.

Explicatio Tabulæ XXX.

In Tab. XXX. I A. *Pimpinellam Agrimonoidem caulescentem, & semina ferentem indicant.* C B. *Ejusdem folia sub exortum per terram strata.* II. II. *Saponariæ radicis partem, & caulem foliis & floribus onustum.*

Kali Siculum lignosum floribus membranaceis.

Radices hujus robustæ sunt, atque altius in terram descendunt, subinde humano crure, vel etiam coxa crassiores: ab his virgæ plures, lignosæ exoriuntur, in tenues ramulos distributæ, circa quos folia Kali minoris non temere sparsa, sed bina semper ex adverso scite posita respondent: *Flores* æstate albi, quadrifolii, patuli, membranacei, instar alarum Papilionis, qui longo ordine, spectabili elegantia, dense congesti ramulos omnino geniculatim onerant: *Semen* cochleatum exigua rubente tunica coopertum. Juxta *Saccam*, *Catanam* & *Agrigentum* reperi, ubi vocatur ab indigenis *Liuta*;

atque ejus cinere in linteis mundandis & dealbandis maxime utuntur.

Aster tomentosus luteus, Verbasci folio.

ASter hic *Folia* promit à radice multa, oblonga, indivisa, tomentosa, Stachydis, aut Verbasci cujusdam silvestris

Tab. 32.



æmula, candidiora : inter hæc *Caulis* dodrantalis, rectus emergit, minoribus foliis cinctus, & ipse molli albenteque lanugine incanescens ; cujus in cacumine flores, Asteris forma, radiato foliorum ambitu lutei, qui in *Pappos* solvuntur : *Radix* subest vivax, totaque planta, si sub tectum hyeme revocetur, pluribus annis perennat. Dominus *Alexander Balam* Anglus, rei herbariæ valde studiosus, mihique amicissimus, in *Italia* communicavit.

Blattaria

Blattaria incana multifida.

Capſulæ, Semen & Flores Blattariam eſſe arguunt: *Folia* vero magna, multiplicibus, & profundis diviſioni-



Kali floridum ſemine cochleato

bus inciſa, colore è virore candicantia, Abſynthii pontici vulgaris aliquatenus æmula. *Ramum* unicum hujus plantæ abſque radice habuimus à *Johanne Maria Ferro Veneto* aromatario, qui *Raguſa* allatum eſſe affirmabat.

Conyza

Conyza Sicula annua, lutea, foliis atroviridibus, caule rubente.

Caulis hujus plantæ est subrubens, rotundus, pedalis, quandoque bipedalis altitudinis, in varios, ac multiplices ramos diffusus, ad instar Linariæ Belvedere, dispositos, circa quos, *Folia* inferna longa, atroviridia, angusta, Oleæ similia cum primum exeunt, deinde anguſtiora, & obtusa deveniunt Kali forma; *Flos* aureus, & minoris Conyzæ flore minus compactus, qui senescente planta abit in *Pappos*. Excepto colore, & exilitate partium, multum affinitatis habet cum Conyza minore vulgari. Annua est. Paluſtribus locis ad *Catanam* urbem plurima nascitur, etiam prope *Agrigentum*.

Explicatio Tabulæ XXXI. & XXX II.

In Tab. XXXI. I. *Kali sine floribus.* I. * *Kali floribus membranaceis indicant.* II. *Asterem tomentosum luteum Verbasci fol.* III. *Blattariam incanam multifidam.* IV. *Conyzam Siculam annuam.*

In Tab. XXXII. B. *Kali floridi ramusculos indicat:* b. *Semen cochleatum.* A. *Rami ejusdem summitatem.* C. *Ramum floribus onustum.* e. *Flosculum pentapetalum.* D. *Ramos semine prægnantes.*

Moly flore subviridi.

Bulbum oblongum habet; *Folia* Asphodeli albi similia; *Caulem* rotundum, lævem, non raro tricubitali proceritate eminentem, cujus summum occupant, in umbella quasi, *Flores* è luteo virescentes longissimis pediculis innixi. Gaudet opacis locis & silvis umbrosis. In montis *Madoniæ* convallibus copiosum occurrit.

Gramen filiceum paniculis integris.

Radice est fibrata: *Culmo* tenui & geniculato, *Foliis* paucis

cis veſtito, cujus faſtigium obtinent pulcræ *Paniculæ*, vulgari Gramini filiceo pares, ni ſimul eſſent conjunctæ, & palmam manus extenſis junctiſque digitis imitarentur. In littore *Sancti Eraſimi* loco *li Stazzuni* dicto, nobis apparuit.



Explicatio Tabulæ XXXIII.

In Tab. XXXIII. I. *Caulem longiſſimum complicatum Moly flore ſubviridi in ſummitate floribus onuſtum indicat.* II. *Gramen filiceum polyſtachyophoron, ſeu panicula multiplici cum radice fibroſa.*

Limonium

Limonium Siculum folio cordato.

RAdice conſtat pollicaris craſſitiei non ſine *Fibris*: *Foliis* humi jacentibus, longis, ab anguſtiis in latitudinem pau-



latim ſeſe laxantibus, quæ per extremum cordis figuram efficiunt, modo quo pingitur: *Caulis* brevior eſt; *Flores* cærulei,& ſemen quale in ceteris. Idem eſſet cum eo,quod à *Bauhino* deſcribitur in *Prodromo*, niſi obſtaret Foliorum longitudo, quæ in noſtro notatu digna eſt. Prope *Panormum*, & *Auguſtam* inveni copioſum.

Expli-

Explicatio Tab. XXXIV.

In Tab. XXXIV. A. *Limonii radicem foliis pluribus cordatis & caulibus flores ferentibus indicat.* B. *Ejusdem Limonii folia ampliora cordata.*

Jacea Melitensis capitulis conglobatis.

C*Aules* Jaceæ nostræ pedales, & longiores sunt, alati, ramo-

Tab. 35.



Jacea Melitensis capitulis conglobatis

si, geniculati: *Folia* angusta, Jaceæ vulgaris foliis mollio-

ra,

ra, leviter sinuata, & incana; *Flores* ad genicula, ab imo ad summum caulium plures, sublutei, è *Capitulis* nonnihil spinosis, atque cum rotundi globuli forma simul commissis, exeuntes. *Melitæ* inveni, in via quæ *Casalnovum* ducit: *Lutetiæ* etiam nata est, sed capitulis minus compactis.

Explicatio Tabulæ XXXV.

In Tab. XXXV. A. *Jaceæ Melitensis folia tenella & prima ex radice orta indicat.* B. *Folia provectiora sinuata.* C. *Caulem foliis & capitulis conglobatis.* M. *Plurima capitula in globum congesta, cum foliis ejusdem basin constituentibus.* d. *Semina ejusdem.*

Jacobæa Sicula Chrysanthemi facie.

JAcobææ nostræ *Caules* sunt cubito altiores, non ita crassi, inanes, seu intus fungosi, in plures ramos divisi: *Folia* longa, angusta, adnatis exiguis alis, Chrysanthemi Cretici veluti divisura & forma, paululum fœtentia: *Flores* in ramulorum fastigiis multiplices, floribus Jacobææ multo minores, medio umbone, seu orbiculato ambitu, luteo auri colore fulgentes. Perpetua est Planta, hyememque facile sustinens, ad *Catanam* & *Tauromenum* frequens.

Expli-

Explicatio Tabulæ XXXVI.

In Tab. XXXVI. A. *Denotat Jacobææ caulis partem inferiorem è radice lignosa fibris scatente ortam, & foliis laciniatis*



onustam. B. *Ejusdem caulis partem superiorem floribus & pappo tectam.* C. *Flosculos stellatim latis petalis cinctos.* d. *& e. Semina papposa.*

Malva Sicula foliis moſchatis criſpis.

Caules hujus plantæ non ſemper humi procumbunt: *Folia* undulata ſunt, & craſſa, Malvæ vulgaris magnitudine,



ſuavi quodam odore Moſchi fragrantia ad baſin; quin & eorundem pediculi, ſingulis appendicibus, ſive unguibus cinguntur: *Flos* pallidus, & ad Citri colorem accedens. *Semen*

Bamiæ

Bamiæ par. Tota planta lævi denſaque lanugine caneſcit. Ad *Agrigentum* & *Saccam* viget plurima, locis argilloſis.

Explicatio Tabulæ XXXVII.

In Tab. XXXVII. A. *Indicat caulem Malvæ foliis criſpis & floribus inexpanſis oneratum.* B. B. B. *Ungues ſeu Appendices quibus cinguntur foliorum pediculi ſub exortum à caule.* c. c. *Florem pentapetalum ſtilum medium cingentem.* k. i. *Semina cum deliquio, quo cingunt ſtilum in meditullio floris.*

Coronopus maritimus roſeus.

Coronopus hic *Spicas* fert foliaceas, depreſſas; *Florem* herbaceum (ut in Plantagine roſea majore, & media) ex denſa frequentique foliorum dilute viridium ſtructura compoſitum: *Folia* ſubtus glabra in lacinias aliquot per latera inciſa exhibet, hortenſis Coronopi foliis per terram ſtratis paria: *Radix* illi eſt craſſa, alte in terram depacta. Semel hunc obſervavi prope *Panormum* in loco dicto *Acqua delli Corſali*, judicavique naturæ luſum: ſed à Domino *Angelo Matheo Buonfanti de Canarinis*, in rebus phyſicis viro claro, & amico meo monitus ſum paſſim per totam *Siciliam* aliiſque etiam in locis enaſci, atque ſpeciem particularem conſtituere.

Alga ſpiralis maritima.

Tenuis eſt hæc, & anguſta membrana in modum ſpiræ convoluta, duas aut tres uncias longa, cujus extrema minu-

minutiſſime inciſa ſunt, ſive fimbriata : ſimplex eſt, in plures quandoque ramos diviſa, totaque ſubnigro fuſco-



ve colore nitet. Saxis, & tectis innaſcitur, ligniſque, uti Corallinæ. *Liburni*, *Saccæ*, & alibi, maritimis fluctibus ejectam, in littore marino ſæpius collegi.

Anonis maritima, mitis, folio lucido ſerrato.

ANonis hæc parvula *Cauliculis* infirmis ab humo vix unquam attollitur : *Foliis* parvis, ſerratis, multumque ſulcatis, & lucidis veſtita eſt : *Flos* ei luteus; figura qualis eſt aliis ſuæ claſſis omnibus, item *Siliqua*, & *Semen* : mitis eſt, nec aculeis

aculeis prædita. Perit singulis annis, *Semine* deciduo subinde se propagans : *Radicem* habet exilem, non sine *Fibris* demissis in terram, *Globulos* albos (ut in Ornithopodio cernitur) ferentem. In omnibus *Saccæ*, *Agrigenti*, *Catanæ* littoribus marinis, & alibi passim in Sicilia exit. In *Maremma* Hetruriæ etiam nota.

Alsine facie Paronychiæ secundæ Matthioli.

TRibus aut quatuor *Ramulis* humi jacentibus, Alsines foliis numerosis, copiosis etiam *Floseulis* in summitate cohærentibus donatur hæc Alsines species, ad formam accedens Paronychiæ secundæ Matthioli. Annua est Planta. Exit passim in maritimo litore *Modicæ* cavitatis, ad *Pachynum* promontorium.

Explicatio Tabulæ XXXVIII.

In Tab. XXXVIII. I. *Radicem Coronopi prægnantem foliis & caule florem roseum ferente ostendit.* II. *Algam spiralem maritimam.* III. *Radicem Anonis mitis maritimæ ejusdem caulibus foliis & floribus onustam.* III. * *Foliola sub exortum è terra cum radice granulosa, seu globulos emittente.* IV. *Alsinen Paronychiæ facie secundæ Matthioli.*

Chamærubus Siculus rotundifolius.

ACceptum habeo à Dom. Doctore *Johanne Rustici*, qui se illum multis & cubitalibus *Ramis*, agresti in solo fruticantem

cantem inveniſſe dixit. In agris *Colleſanenſibus* etiam lætaba-



tur prope *Abatiam di Podali* in *Sicilia*; cum Chamæmoro Norvegiæ *Cluſii* plurimum convenit.

Gramen Cyperoides altiſſimum, foliis, & carina ſerratis.

GRaminis hujus *Calamus* arundinaceus, rotundus, geniculatus, hominis quandoque proceritatem æquans: *Folia* in ſingulis geniculis Cyperi vulgaris more carinata, pede longiora, ſemiunciam lata, ſuperne anguſtiora, utroque margine & media coſta, Serratulæ foliorum modo exaſperata, & ſerrata; in cacumine & *Foliorum* alis *Jubæ* Milii vel Junci panicula

nicula ſparſa contractiores, ſuccedentibus etiam *Seminibus* minoribus & nigricantibus; *Radix* ſubeſt longa, fibrata, perennis, Graminis canini, ſeu Dactyli modo ſerpens. *Liburni* in paludibus *Vadæ* Turris, & ad *Pachynum* promontorium copioſe itidem exit.

Jacea elatior Luſitanica ſemper virens.


Hujus plantæ *Folia* lanceolata, longiora, latioraque quam vulgaris, margine tamen, ut illius laciniata, aſpera, è virore pallentia; *Caules* multi, cubitales & longiores, pluribus ſparſim & confuſe foliis cincti, in ramos multiplices per totam ſummitatem diviſi, duri, aſperi, proferentes *Capitula*, è quibus exeunt *Stamina* plura, confarcta, coloris ex purpura rubentis: *Radix* lignoſa, dura, non abſque fibris. Tota *Planta* hyemem (niſi acris admodum fuerit) ſine noxa facile tolerat. E *Luſitania* primum allatam credunt, unde nomen habuit. In hortis *Florentinis*, *Piſanis*, *Bononienſibus*, & demum *Pariſienſibus* vidimus.

Explicatio Tabulæ XXXIX.

In Tab. XXXIX. I. *Chamæmorum Norvegicam indicat.* II. *Gramen foliis & carina ſerratis.* III. a. *Jaceam Luſitanicam elatiorem foliis caulibus & capitulis ornatam.* III. b. *Ramum in ſummitate florentem.* III. c. *Folia ejuſdem inferiora & latiora.*

Scabiosa maritima, Rutæ caninæ folio.

Caule assurgit hæc, uti vulgaris, tereti, striato, cubitali, atque pluribus alis concavo, imbecillo tamen, & humi sub-



inde procumbente : *Folia* quæ primo nascuntur, in multas & profundas lacinias incisa, ad Rutæ caninæ, sive fistulariæ accedentia, in *Caule* sensim attenuata, at minora : *Flores* subpallidi, quandoque etiam rubentes proferuntur. *Semina* aliarum modo producit. Nascitur in *Caietæ* maritimis, & arenosis litoribus.

Spongia

Spongia Ramosa coniformis.

SPongia hæc canulata, atque in rotunditatem quasi collecta, coni pini inversi refert figuram perfecte, & ideo Spongia coniformis nuncupabitur.

Pastinaca Oenanthes folio.

DIffert hæc ab omnibus Pastinacis tenuifoliis, quas hactenus descriptas reperi. *Folia* illi Pimpinellæ saxifragæ, sive Oenanthes non absimilia; *Caules* pedales, recti, ramosi; *Umbellæ* magnæ, aliarum Pastinacarum tenuifoliorum, hujus classis more: *Flores* albi, quibus succedunt *Semina* exigua aspera, seu potius villosa, sive hispida. Supra muros *Leocatæ* Civitatis in *Sicilia* inveni: neque enim in pratis, aut secus viarum margines, cum spontanea seu silvestri tenuifolia, nascitur.

Lithospermum umbellatum latifolium.

E *Radice* lignosa caulis illi cubitalis exoritur, sarmentosus, in multas alas, seu ramusculos divisus; *Folia* oblonga, Oleæ æmula, angusta, aspera & saturate viridia; *Flosculi* caulium fastigia occupant, in *Umbellam* veluti cohærentes, coloris purpurei, quinque foliolis constantes; quorum singulis succedunt *Semina* duritie lapidea donata, ut cernere licet in aliis sui generis. Ad *Panormum*, in cautibus montis *Peregrini* gignitur.

Explicatio Tabulæ XL.

In Tab. XL. I. *Scabiosæ maritimæ, Rutæ Caninæ folio, ramusculum capite oneratum indicat.* II. *Spongiam ramosam coniformem.* III. *Radicis Pastinacæ Oenanthes folio partem superiorem, & caules flores in summis ferentes.* b. *Ejusdem semen.* III. a. *Folia ejusdem tenella ex radice tenui nuperrime surgentia.* IV. *Lithospermi latifolii radicem & folia inferiora.* c. *Ejusdem semina.*

Jacobæa pumila Gallica.

HÆC folia habet ceteris omnibus suæ classis multo tenuius



dissecta, atque est *Planta* pumila & ceteris humilior; *Flore & Semine* ceteris par. *In tractu Cabalionensi prope* Litho-
Flumen nascitur

Lithospermum umbellatum angustifolium.

ALterum hoc, à priori latifolio in tabula præcedenti descripto, & depicto, sola foliorum anguſtia distinguitur. Describitur à Casparo *Bauhino* in Pinacis appendice, sub Lithospermo umbellato anguſtifolio, & idcirco ejus *Iconem* appingendam hic curavimus.

Reseda crispa Gallica.

DIffert à vulgari solo folio crispo, sulcoque majore per folii nervum decurrente. *Massiliæ* tantum in vicinis vidimus.

Explicatio Tabulæ. XLI.

In Tab. XLI. I. *Jacobæam pumilam Gallicam, folia caules & flores in summis gerentem, offert.* II. *Lithospermum umbellatum anguſtifolium per ramos dispositum.* C. *Ejusdem caulem unicum foliis anguſtis longis & floribus in cimis ornatum.* A. *Lithospermi latifolii pediculum foliis latis ostendit.* B. *Ejusdem summitates floribus quasi in Umbella dispositis.* III. *Resedam Gallicam crispam caulescentem & florentem.*

Leucoium Gallicum folio Halimi.

HÆC Leucoii species in denso cespite *Folia* producit binas, ternas, uncias longa, unam lata, è quorum meditullio protruditur caulis bipedalis, tripedalis, nunc major, nunc

nunc minor, cui inordinatim adnaſcuntur *Folia* oblonga, incana lanugine obducta, ſicut & inferiora latiora per terram



ſtrata, & in denſum ceſpitem congeſta. *Flores* producit in ſummis virgularum ſubcæruleos, quorum ſingulis evanidis ſuccedit *Siliqua* bivalvis (aliorum Leucoiorum marinorum more)

more) subaspera, duplicem seriem seminum latorum, seu compressorum continens.

Trachelium capitatum hirsutum foliis gramineis.

PAlmaris est huic *Cauliculus*: *Folia* longa, angusta, graminea, leviter hirsuta, & ad *Radicem* plantæ per extremum retusa, circa *Caulem* acuminata: in summitate *Flores* multi simul conjuncti, ac veluti in *Capitulum* congesti, Trachelii pratensis ritu; atque floribus exsiccatis succedunt *Capsulæ* tribus loculamentis distinctæ, continentes semina numerosa pellucida, rufa, aut subfusca. In hortulo meo in *Sicilia* colui, semine (ut aiebant) *Raguſa* allato: an Trachelium Tragopogonis folio, à *Fabio Col.* descriptum sub eo nomine, dubitatur.

Capparis Sicula, duplicata spina, folio acuto.

FOliis est Paliuri, acutis in mucrone, sed medio subrotundis, inordinatim dispositis & annexis cauli, colore ex luteo languescente, glutinosis, ad quorum exortum subtus geminæ (ut plurimum) spinæ aduncæ nascuntur: *Caules*, *Flos*, *Capsula*, *Semen*, à ceteris Capparis speciebus nihil discrepant. Planta est Perpetua, prope *Agrigentum* frequens, atque oppidum dictum *la Terra di Palmi*, ubi fruticosam non raro vidimus.

Arisarum

Ariſarum anguſtifolium minimum.

HUmilis eſt hæc *Planta*, & palmarem altitudinem vix ſuperat; *Caule*, *Involucro*, *Piſtillo*, nec non *Radice* globoſa, eaque candida, Ariſaro anguſtifolio vulgari perſimilis; ſola omnium prædictarum partium exilitate, atque *Foliis* anguſtis, & longis à vulgari diſcrepans. Ad *Saccam*, mediis in ſaxis, atque in ſaxorum fiſſuris, ſeu rimis mihi obvium factum eſt, in loco *la Pirrera* dicto.

Explicatio Tabulæ XLII.


In Tab. XLII. I. *Leucoium Gallicum folio Halimi, foliis caulibus floribus & ſiliquarum rudimentis ornatum indigitat.* I. A. *Ejuſdem ramum foliis anguſtioribus ſiliquis & floribus in ſummitate donatum.* II. *Trachelii capitati hirſuti folio gramineo, caulem, & folia hirſuta cum floribus campanulatis in capitulum congeſtis, & foliolis hirſutis anguſtis intermixtis.* B. II. *Ejuſdem folia prima tenella ex radice exeuntia, per extremum retuſa.* III. C *apparis binos caules duplici ſpina, & foliis acutis.* III. C. *Ejuſdem florem.* IV. *Ariſarum anguſtifolium minimum ejuſque radicem & folia duplici figura. In* Tab. XLIII. *videre eſt Fungi Melitenſis Typhoidis duplicem figuram.*

Fungus Typhoides coccineus Melitenſis.

FUngus noſter raritate, & uſu nulli ſecundus. Palmaris eſt altitudinis, interdum major, Fungum nondum explicato capituli diſco plane referens. *Pediculus* eſt uncialis craſſitudinis, tres aut quatuor uncias longus, ſcaber, fungoſus,

ſus, *Capitulum* etiam ipſum fungoſum, pediculo paulo craſſius, minoris Typhæ paluſtris clavam aliquatenus repræ-

Tab. 43



ſentans, quod dum viret ſi digitis premas, veluti ſanguineum ſuccum fundit. Per maturitatem granis minimis innumeris, Panico non abſimilibus, exaſperatur, undique cocci

colore splendentibus. Æstatis munus est; aliis tempestatibus temere & frustra quæsieris. Astringit maxime, unde ei præcipua laus in cohibendo sanguinis profluvio; cujus gratia *Melitenses* ex *Gaulo* insula, illius in pulverem soluti scrupulum aut amplius vino vel jusculo dilutum hauriunt, ducta à majoribus hac nunquam fallente medicina. Oritur in scopulo *Melitæ* insulæ adjacente, dicto *Scoglio del Generale*, hinc ipse Fungus *Heritz tal General* vernacula lingua dicitur. Elegantem hunc fungum acceptum debeo *Johanni Francisco Bonamico*, viro literarum amantissimo, qui addidit folia tenuissima addesse primo nascenti, atque maritimis fluctibus continuo irrigari.


Limonium reticulatum supinum.

PUlcherrimum hoc Limonii genus inter cetera studiosorum oculis subjici meruit. *Foliis* oblongis parvo Monspeliensi non multum absimile est; sed effusa cauliculorum veluti *juba* longe elegantius. Pedales illi sunt & longiores *Cauliculi*, in *Ramulos* plurimos divisi, qui geniculatim anguloſi deveniunt, atque hinc & inde flectuntur, & sese invicem secant, ut incrementi progressu, multiplici atque numerosa in semetipsos implicatione, visenda novitate, reticuli speciem rite figurent. Peccavit interim sculptor noster, quod reticuli amplitudinem seu anfractum non satis expresserit. Hujus Limonii satis ferax *Melita* est.

Expli-

Explicatio Tabulæ XLIV.

In Tab. XLIV. LL. *Limonii reticulati ſupini folia oſtendunt, inter quæ reticulatim proveniunt caules infirmi ſuſtinentes*



floſculos inexpanſos. N N. *Sii minimi, ſeu Cardamines latis ſiliquis effigiem repræſentant, cujus melior ſculpitur figura Tab. ſequenti* 45.

Campanula Hirſuta Ocimi folio caulem ambiente, flore pendulo.

Caule conſtat pedali, ſtriato, hirſuto, in multos *Cauliculos* divaricato, quos ambiunt folia ampla, & illa quoque non

leviter hirsuta, Violæ pentagoniæ æmula *Caulem* amplectentia, sed majora: *Flos* in summitate Cauliculorum pendulus, purpureus, Campanularum forma, variis foliorum lon-



giorum & angustiorum appendicibus, quasi auriculis ad florum basin appositis cinctus: sequitur semen, ut in aliis omnibus ejusdem classis: *Radice* nititur exili, quæ singulis annis perit. *Messanæ* in loco dicto *lo Ringo* nascitur.

Sio minimo Prosp. Alpin. affinis, siliquis latis.

HUic Sio *Cauliculi* sunt tenues, geniculati, & ramosi: *Folia* exigua per marginem uti Fumariæ divisa. *Flores* in ramulorum

mulorum fastigiis pauci, subeuntibus *Siliquis* planis, latis, in mucronem desinentibus, è quibus vel levi tactu quatuor aut quinque *Semina* compressa, ac pene quadrata exiliunt. *Radix* tenuibus fibris constat. Hujus figura bis repetitur, hic nempe & in superiori Tabula cum Limonio reticulato. Me fefellit sculptor, qui compendium quærens dimidiatam plantam effinxit supra in *Tab.* 44. Nascitur in *Madonia* monte in *Sicilia* veteribus *Nebrode* dicto.

Linaria pumila triphylla Sicula:

PRO plantæ tenuitate *Radix* satis crassa, plurifariam in ramos divisa, non sine fibris quibusdam etiam adnatis: *Cauliculi* tres aut quatuor palmares, geniculati, per terram strati; circa quos *Folia* parva subrotunda, Cruciatæ Dodonæi magnitudine decussatim ad genicula composita. *Flosculos* non observavi. Ad montes *Hyblæos* in oppido *Mililli* nascitur.

Explicatio Tabulæ XLV.

In Tab. XLV. I. *Refert Campanulam hirsutam Ocimi folio caulem ambiente cum floribus pendulis.* II. *Sio minimo affinem siliquis latis exhibent. Melius hic sculpitur atque exprimitur quam in Tab. superiori* LXV. b. c. *semina è siliquis exemta.* III. *Linariam pumilam tetraphyllam ostendunt.*

Conyza Canadensis, annua, acris alba, Linariæ folio.

CONyza hæc priusquam in caulem assurgat, foliorum humi jacentium orbem & quasi radiantis stellæ speciem exhibet:

bet : folia huic primo naſcenti ſinuata, & hirta, atque verſus extremum retuſa ; quæ tandem in caulibus adultis Li-



nariæ ſunt æmula : Caulis pedalis, & bipedalis interdum : Flores parvi, albo-virides, fere innumeri, atque in pyramidis modum diſpoſiti, qui ſeneſcente planta verſus autumnum, in

in unum versum flectuntur, tandemque in pappos (Conyzarum & Senecionum more) solvuntur. Sapore acris est. Arida planta si digitis teratur, non insuavi Mali Aurantii odore placet. Ex Creta aut Canada, vel aliunde allatam negant nonnulli, repugnante seniorum Parisiensium fide, quibus in prima ætate ignota fuit: quod nuspiam non oriatur, & quasi de industria sata, hoc copiæ seminis papescentis debeatur, quod facile vento hinc & inde impellitur. Nonnullis after Canadensis annuus dicitur. A *Dom. Morisono* in Prælud. Botan. sub Conyza alba acris annua describitur, propter conformitatem cum Conyza acri cærulea, cum in floribus & seminibus, tum sapore & odore.

Explicatio Tab. XLVI.

In Tab. XLVI. A. *Indicat Conyzam acrem, albam, annuam, dum ineunte vere prima sua folia sinuata & hirsuta stellatim seu radiatim per terram strata protrudit antequam caulescat.* B. *Caulis partem inferiorem foliis longioribus onustam.* C. *Caulis partem superiorem floribus in pappos resolutis oneratam.*

Eryngium capitulis Psyllii ex Sicilia.

HOC, ad Eryngii plani genus pertinet: quod capitulis Psyllii proveniat sic appellavimus; constat enim radice tuberosa ad Raphani formam accedente. Cum primum folia oriuntur, sunt glabra, rotunda, indivisa, sed per oras lacinios, longissimis & capillorum instar tenuissimis pediculis pendentia: Caulis pedalis capitulis in summitate & caulium

lium alis ſpinoſis Pſyllii quodammodo æmulis, è quibus floſculi prodeunt purpurei; ſubſunt etiam ſingulis horum ca-



pitum foliola anguſta, longa, dura, & pungentia, multo longiora iis quæ in vulgari conſpiciuntur. In neglectis agris, & aridis (ut plurimum) locis magna copia naſcitur circa *Sac-*

cam

cam, Panormum & *Agrigentum*, aliasque sæpius memoratas urbes.

Explicatio Tabulæ XLVII.

In Tab. XLVII. A. *Eryngii capitulis Psyllii radicem tuberosam, pyriformem, cum fibris dependentibus indicat.* B B B. *Ejusdem folia glabra, rotunda, serrata seu lacinioſa, & indivisa, longissimis pediculis pendentia ostendunt.* C. *Ejusdem caulem capitulis onustum, spinis longioribus & pungentibus rotatim armatis.* D. *Ejusdem folium superius dissectum cauli adhærescens.*

Convolvulus Siculus minor, flore parvo auriculato.

SPargit per terram hic viticulosos cauliculos, circa quos



Virgæ sanguineæ amulantia et

folia conspiciuntur subrotunda, in mucronem tamen definen-

 tia,

tia, ac per longa intervalla è longis pediculis pendentia, sicut & flosculi, qui Calathi aut Campanulæ forma, sunt omnium Convolvulorum minimi, & cærulei, circa quos auriculæ, sive foliola, capitulum ex adverso amplectentia, nascuntur: Semen angulosum quadruplici loculamento in capsula rotunda concluſum sequitur. Annua est planta. Juxta *Catanam* frequenter collegimus, & circa *Panormum*, sed rarius.

Explicatio Tabulæ XLVIII.

In Tab. XLVIII. A. *Indicat Convolvuli Siculi minoris, &c. radicem, & prima folia ex eadem orientia, perque terram projecta.* B. *Caulis viticulosi partem foliis adultioribus oneratam.* CCC. *Caulem viticulosum per terram convolutum, & adultum, foliis alternatim positis, fructu, seu capsulis & floribus oneratum.* ddd. *Capsulas.* cccc. *Flores campanulatos minimos.* ff. *Semina angulosa.*

Heliotropium Siculum maj. fl. amplo odorato.

CAuliculo constat ramoso, versus terram reclinato: foliis in rotunditate oblongis, candicantibus, leviter hirsutis, & quasi villosis, seu lanugine obductis. Heliotropio vulgari non absimile est quoad caulium & foliorum compositionem; floribus autem variat, qui multo majores sunt, & suaveolentes, Smilacis asperæ aut Meliloti ritu: caulis fastigio flores sæpe veluti in umbellam congesti versus extremum cohærentes, alioquin secundum ramulorum flexum, ut in vulgari, ordine peramœno digeruntur. In eadem Tabula collocavimus

vimus Heliotropium majus vulgare & noſtrum Siculum flore maj. odorato, ut melius hujus noſtri obſervetur differentia



à vulgari. Non longe *Catana* in aſperis, & ſegetibus copioſe creſcit alteri permixtum, unde cuivis facile conſtabit me non eſſe hallucinatum.

Explicatio Tabulæ XLIX.

In Tab. XLIX. AAAA. *Indicant Heliotropii Siculi maj. flore amplo odorato flores multo majores vulgaris ad ramulorum flexus.* BBBB. *Capsulas seminales post flores deciduos.* C. *Flores majores veluti in umbellam congestos.* D. *Caulem vulgaris foliis & floribus onustum.* E. *Flosculos reflexos ejusdem ostendit, ad discrimen determinandum inter Heliotropium vulgare & nostrum Siculum fl. odorato amplo.*

Lychnis noctiflora minima, fl. exiguo.

E Radice parva leviter fibrata Cauliculos plures, tenues, primum per terram in orbem stratos, folia ad genicula bina è regione posita, angusta, uncialia, Linariæ minimæ seu Spergulæ æmula gerit hæc nostra Lychnis; quorum in sinu subinde foliola alia duo nascuntur brevissima & tenuissima: eriguntur demum cauliculi stipatu numeroso geniculati, multiplices, in ramos divisi, nonnihil pilosi, ut & folia, quorum quæ ad summitatem accedunt, sensim breviora fiunt & latiora. In summitate & foliorum ultimis alis subrubri exeunt flosculi quinquefolii, Alsines magnitudine, capsulis minimis Lychnidum formâ inserti. Tota planta viscoso quodam glutine manus inficit.


Spongiæ ramosæ varietas.

S Pongia hæc ramosa oritur ex una continuata & singulari radice, atque in multos ramos sursum versus funditur, adinstar cornuum cervi, quorum substantia est mollis, levis, & lanugine multa obducta, coloris gilvi, vel potius ad ferrugi-

nem

nem inclinantis quoad capacitatem interiorem ; Calathi formam repræsentant ramificationes ejusdem.

Lychnis Noctiflora Minima, flore Exiguo. Tab. 50



Spongiæ Ramosæ Varietas.



Explicatio Tabulæ L.

In Tab. L. A. *Cauliculum Lychnidis noctifloræ, viscosæ, minimæ, in ramusculos divisum indicat.* b b b. *Flosculos pentapetalos, atque quina foliola interstitiis petalorum substrata.* C. *Radicem varietatis Spongiæ ramosæ.* D D D. *Ramificationes seu divisuras ejusdem.*

Jacobæa multifida umbellata annua.

E Radice tenui, parva, folia plurima per terram strata, uncialia, & triuncialia nonnunquam, Jacobææ more lobata, supra viren-

virentia, ſubtus incana in extremo rotundæ circinitatis in



margine ſinuata, emittit hæc Jacobææ ſpecies, quorum è medio caulis aſſurgit pedalis, alatus, rotundus, leviter hirſutus, foliis cinctus primum Jacobææ diviſura, demum Abſynthii modo tenuiter inciſis: hic caulis in ſummitate pluribus ramis palmaribus quaſi laxe umbellæ in modum dividitur, quorum cacuminibus inſident flores petalis latis & planis aureo colore fulgentibus & cingentibus umbonem pariter aureum, ex multis ſtaminulis concoloribus conflatum, qui tandem recedit in ſemen pappoſum aliarum Jacobæarum more. Annua eſt planta. Naſcitur ad *Agrigentum* & oppidum *Montapertum* dictum.

Expli-

Explicatio Tabulæ LI.

In Tab. LI. A A A. *Indicant radicem protrudentem folia rotunda, laciniata, per terram strata Jacobææ annuæ.* B. *Ejusdem Caulis superiorem partem foliis multifidis oneratam.* C. *Florem plene expansum.* d d d. *Flores nondum plene expansos.* f f. *Pappos floribus succedentes, calici adhuc involutos.* g. *Pappum absolutum.*

Scabiosa marina Rutæ marinæ folio.

SCabiosa hæc à vulgari Columbaria sola compositione foliorum distinguitur: hujus folia ima plurifariam & confuso or-



dine dissecantur, adinstar Rutæ caninæ, seu Scrophulariæ tenuifoliæ,

foliæ, colore etiam saturatius viridi afficiuntur. Vide 1 Tab. 40. ejusque ibidem delineationem imperfectam.

Explicatio Tab. LII.

In Tab. LII. A. *Pediculum foliis inferioribus onustum Scabiosæ marinæ Rutæ caninæ folio indicat.* B. *Caulem ejusdem foliis tenuius dissectis oneratum.* cccc. *Capitula semine prægnantia.* d. *Semen ejusdem exemtum.*

FINIS.
